



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Thesaurus Eloqventiae Sacrae Et Profanae, Saluti &
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

Alberti, Alberto

Coloniae Agrippinae, 1669

Actionis Pars Qvarta, De Corrvptela Sacrorvm Concionatorvm Appendix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)

ACTIONIS

PARS QVARTA,

DE CORRVPTELA SACRORVM CONCIONATORVM APPENDIX.

244.



Ria sunt, Patres Sapien-
tissimi, quæ longâ hac
meâ disputatione perspi-
cûe, solideque, nisi me
fallit opinio, hætenus de-
monstravi. Ostendi enim,

Adversarios meos eloquentiæ genere uti quâ
corruptissimo. Ostendi ansam Tulliano ab ar-
tificio discedendi, quò sibi ingenii palmam
asserent, quum hac ipsâ discessione tanto se
hebetiores ingenio prædant, frustra arripuisse.
Ostendi neq; majoris concinnandæ oblectatio-
nis gratiam, quò nuntium eidem Tulliano
artificio jure remisisse viderentur, quum istâ
ipsâ remissione omnem Oratoriæ, & Concio-
natoriæ delectationis concinnitatem, gratiâ-
que ad eò affligant, prætere potuisse. Jam,
quum tam multa de forma caractereque di-
cendi tam oratoribus quàm Concionatoribus
communi à Logodædalis Declamatoribus
scædè vitiato disseruerim; ut congruentè huic **A**
Actioni coronidem tandem imponam, operæ
pre-

pretium reor, pauca quoque de Concionatoribus speciatim attexere, pauloque accuratius, ac fufius expendere.

Varia Concionandi prauitates recensentur, ac improbantur.

245. **S**I perniciofa eloquentiæ lues, prudentiffimi Antiftites, fe fori, civiliumque ambulationum laxitate, atque ambitu contineret: fi extra Curiam, atque Senatum non graffaretur, fi profanas tantum Orationes, & cauffas inſiceret perdereque; quanquam dolendum profecto eſſet; ego tamen doloris vocem omnem adhuc premerem, non expoſtulare, penitusque obmutefcerem. At, quum tam noxiola labes ipſa etiam ſacroſancta Tempſa non ſemel pervadat audacter; quum plena ſanctitatis penetralia interdum commaculet inſolenter; quum Apoſtolicum ſpiritus ora, ſuggeſta, & roſtra ſubinde inſatuet, atque aduſteret impudenter; quis amplius patientiæ, quis ſilentio locus eſſe poſſit? quis tantam indignitatem ſine indignatione tacitus diutius ferat? quis non in lacrymas, ſi non in verba, niſi plañſum omnem extuderit, gemebundus erumpat?

246. Verſant quidem ſacri Concionatores, tanquam æterni Numinis, ſummique Imperatoris Legati, res omnium graviffimas, deque animi virtutibus amplectendis, de ſcelerum ſordibus abſtergendis, de vitæ honeſtate inſtituendâ, de Cælitibus venerandis, de iſto Deo

Deo propitiando, de caelesti Beatorum sede
 obtinendâ, de atrocissimis inferorum crucia-
 tibus evitandis, deque alijs id genus sexcentis
 maximis argumentis frequenter agunt, ac
 philosophantur: verùm istorum ex ordine
 nonnulli eâdem ambitione gloriolæ, eâdem-
 que levitate, quâ molles, ac fracti Oratores,
 Christianorum aures cœtuum compositopræ-
 stigarum genere bellissimè, dicam, an flagi-
 tiosissimè? ludificantur. Deberent enim vali-
 dorum machinas argumentorum moliri, mo-
 rum pellax adhibere artificium, affectuum vi- **A**
 brare fulmina, ex divino diplomate testimo- **B**
 nia producere, Christi Regis nostri leges, jus- **C**
 sa, decreta inculcare; verendorum Patrum **C**
 scita, placitaq; recensere, non hilariones tan-
 tum hinc, atque illinc dissitos in eis sensiculos **D**
 putidè, ut ita loquar, sicilire, atque infarcire
 stolidiùs. Deberent Theologorum sanctio-
 nes, legis aternæ, scriptæ, veteris, novæ, na-
 turæ ipsius, ipsius conscientia jura intorque-
 re; omne genus testium arcessere, omnem vim
 nervorum intendere, omne animi robur ex-
 promere; summam in dicendo præferre pru-
 dentiam, summæ probitatis speciem expinge-
 re, summæ formam sanctimonie representare.
 Deberent officiosam erga Auditores be-
 nevolentiam significare, implacabile peccati
 odium explicare, exuberantem erga Deum
 toties delictis irritatum amorem demonstrare,
 intimam erga calamitosos commiserationem,
 incensam perditorum hominum conclamata
 penè saluti consulendi cupiditatem, purum
 pu

putumque divinæ unius gloriæ amplificandæ
studium, sui verò pro illa eadem cumulandâ
proximiq; commodis procurandis contemp-
tum patet facere. Deberent sitim quandam ve-
herentissimam omnium animarum, maximè
flagitiosarum ad Christum Dominum, Re-
gemque suum adjungendarum medullas sibi
penitus urentem ostendere. Deberent deniq;
deberent se ad omnes exorbendas molestias,
ad omnes subeundos labores pro omnium
facinorosorum, imò & pro unius ovis erra-
bundæ sanitate recuperandâ paratissimos
offerre, ultro præstare, ultro polliceri, ultro
etiam ingerere,

247. Quid enim? Cernite Auditores, Chri-
stiani orbis luctuosum spectaculum. Cernite
vulnera, cernite cædes, & sanguinem. Videte
A Damonum carnificinam, Tartari lanienam
B despiciate. Hic tot annos pellici obaratus
marcescit: ille tot jam lustra suo hosti exitium
C machinatur: alium auri, argenti que libido
D excæcat: alius impuratâ linguâ tremendum
E Numen, ac Divos incostat: spissâ illinc nubes
pejerantium exilit, hinc multa prædonum
manus educitur: ibi invidorum longum agmè
hæret: multi passim in luxuriæ cœno volutan-
tur, sanctos conjugii toros turpiter conta-
minant, affinitatis vincula nequissimè pol-
luunt. Multi nulla pudoris claustra, nulla
honestatis agnoscunt repagula, domi, foris que
teterrimæ cæstro libidinis perciti, sine ullâ
verecundiâ, sine ullo metu, sine ullâ De-
reverentiâ, sine ullo hominum respectu furiosi
do

debaechantur. Multi postremo gravi crimi-
 num veterno sepulcri stertunt, vitiorum pædo-
 re oblitum, æterni Iudicis Dei, Cælitum omni-
 um, Infernorum cruciatuum, mortis, conscien-
 tiæ, sui que prorsus oblitum, miserè contabes-
 cunt. Hos ad sanam ut revoces mentem, ut è
 peccatorum extrahas sordibus, ut à peccatâ, **K**
 ferruminatâq; , ut sic dicam, flagitiorum con- **L**
 suetudine divellas, quid non machinationum,
 quid non operarum experiendum est? Si tu-
 am in sententiam huiusmodi Auditores pec-
 ducere, si ab eis persuasionem extorquere cu-
 pis; causæ primùm firmamenta, ceu princi- **M**
 pes in exercitu, statuenda sunt; deinde mo- **N**
 res, quasi hastati, succenturandi; mox gran- **O**
 diores affectus, veluti cataphracti triarii, à
 tergo, in extrema præsertim acie, hoc est, in
 Perorationis exitu concitandi. Ubi autem
 propositam quæstionem confirmare cœpisti,
 illam fortiter urge; illam quasi exaggerata- **P**
 rum fistucâ rationum trude, illam rursus ge-
 minatis aliorum enthymematum ictibus pro-
 move. Paulatim progressus, oppugnationem
 redinegra, Auditoris pectus, mentem, præ-
 cordia densâ commotionum procellâ ac tur-
 bine tuade, verbera, exagita, prosterne.
 Nunc minas, nunc preces alterna. Jam lenien-
 do demulce, nunc incipiendo concute, nunc
 in spem erige, nunc in audaciam attolle, jam
 ad misericordiam inflecte, mox ad iracuadi-
 am laceffe. Quæd plurâ? Si nefarios homines
 è Tartari faucibus aves educere, omnis tibi
 moyendus est lapis, omnia artis perquirenda
 R adju-

adjumenta, omnis naturæ conatus medullitus
exerendus.

248. At ab istâ rationum, & morum, affec-
tuumque impressione faciendâ haud pauci
A eloquentiæ non Oratores, sed errores, ac
B plani, non Concionatores, sed collusores,
quàm longè digrediuntur? Quid enim?
quid? An non, Patres amplissimi, ad hæc
omnia opera, tanta, tamque ardua perficienda,
satis se profecisse isti arbitrantur, si multi-
C plici variaque antihetorum serie micent
D festivè? si anominationum affinis crepent
sonis? si minutis interrogatiunculis, quasi
punctis acutè sibilent? si Concionem in mo-
dicis perrexant floribus? si acumina, sensicu-
E losque congeminent? si denique per hæc inania
puerorum crepitacula stylum, ac linguam
fundant illecebiosius? O ingenii perversita-
tem! O judicii improbitatem! Et istos ego
sacros Concionatores potero nominare?
potero Dei ter maximi Legatos agnoscere, vel
suspiciari? Quid dicam porro de eorum non
Concinatorum, sed Histrionum exordien-
put dâ ratione? quid de tam confesso erudi-
tiosis penù initio dicendi statim exinantis?
quid de ampullantibus verborum periodis?
F quid de tam longâ, tamque ambitio:â, ante
quàm clarè quâ de re dicturi sint, aperiant,
circumtione? Quid loquar de quæstionibus
ad proximorum salutem prorsus inutilibus in
medium adductis? quid de vanis, & curiosis
quid de is solitis atque inauditis, quo ingenio-
siores habeantur, sed ad peimovendos animos
prorsus

prorsus ineptis? quid ex postulem de translatis
 propositionibus, à sensu hominum remotis,
 atque à communi usu abhorrentibus, quæ ad
 titillandas aures dumtaxat valent, ad mores
 verò conformandos nihil penitus faciunt?
 quid querar de ostentatione peregrinæ,
 reconditæque doctrinæ? quid de spissâ, incul-
 carâque sententiarum farragine? quid de nimio
 oblectandi studio, atque intemperantiâ? quid
 de tenebrosâ dictionis obscuritate operosè
 quæsitâ, quò eloquentia sublimis, admira-
 bilisque vulgo censeatur? quid verò doleam
 de totâ sæpe Concione nullum prorsus ad
 fructum animarum collineatâ? quid de alienâ
 omnino ab Auditorum captu? quid de um-
 bratili, & declamatoriâ? quid accusem præ-
 terea de sæculentis ethnicorum hominum
 scitamentis importunè ingestis, de assutis
 veteratorum fabellis, de congestis Poetarum
 carminibus? quid de frigidâ, aut nulla peni-
 tûs Peroratione? quid de obsonâ vocis in-
 flexione? quid de pronuntiationis, actionisque
 mimicâ planè licentiâ? quid ad hoc fream de
 fictâ sanctimonix personâ à Concionatore
 susceptâ? quid de ejusdem vanissimâ sui jactan-
 tiâ? quid de affectatâ propriæ Religionis
 laudatione? quid de inconditis, quid de in-
 tempestivis, quid de inconsultis clamoribus?
 Denique quibus ego jam lacrymis profe-
 quar sacrosancti Evangelii oracula sus de-
 que habita? divinorum Prophetarum vati-
 cinia neglecta? æternas Cælestis voluminis
 tabulas perperam interpretatas? præposterè
 R 2 expla-

explanatas? ridiculè plurimis ineptiis per
summam vim, ac nefas aptatas? audacissime
plerisque alijs etiam modis temeratas, distor-
tas, atque adulteratas?

*Infana paradoxa venditata in Concioni-
bus vituperantur.*

249. **V**erùm etsi hæ cunctæ Concionato-
rij muneris corruptelæ graves om-
nino sunt, graviterque jure sunt deplorandæ;
quanto tamen acerbius, sapientissimi Præ-
sules, aliorum quorundam, non tam Concio-
natorum, quàm rabularum temeritas à me
hoc loco perstringenda, diraque imprecatio-
ne simul defigenda meritò est, qui, exorica pa-
radoxa, hæretico etiam veneno subinde im-
buta, ad famam magnorum virorum anxie
aucupandam, Auditoribus propinant, obtru-
duntque; fuse dilatant, atque amplificant; tan-
demque postea ad Catholicam, & veram sen-
tentiam, adjectâ perbrevis distinctione, se jun-
que explicatione, revocare conantur? Quan-
tâ enim, Deus immortalis! quantâ cum Au-
ditorum pernicie effrænis ista licentia, capita-
lisque lues grassatur? quantâ cum Reipub. Chri-
stianæ fraude? quanto cum omnium anima-
rum detrimento? Nempe presentaneum erro-
ris, Hæresisque virus, prædulci blandæ orati-
onis, & curiositatis melle illitum, auribus mul-
titudinis potandum instillatur, illicoque ad
cor ipsum penetrat, & bonam fidem, simplici-
tatemque complurimum antea perimit, quàm
neces-

necessarium legitimi sensus antidotum ad-
 moveatur: quod sanè antidotum sæpenumero
 adeo imbecille etiam invalidumque est, ut
 hausto malefico succo, & toxico expectoran-
 do, vulnerique, quod jam ab eo illatum est, san-
 nando minimè aptum, imparque omnino sit.
 Quibus artibus planè insidiosissimis, serenda-
 que Hæresi maximè idoneis tam impruden-
 ter, ac nequiter exercitis, quàm molli bra-
 chio mysteriorum Catholicorum fides sensim
 elevatur, atque atteritur? quàm facilè Chri-
 stiana dogmata in dubitationem adducuntur,
 nec, dispulsâ caligine, bono in lumine collo-
 cantur? quàm subito conscientia Auditorum
 perturbantur, nec, affusâ rectæ intelligentiæ
 luce, componuntur, aut tranquillantur: quam
 de plano Apostolica divini verbi fundendi ra-
 tio, ac norma despicitur, lataque via affin-
 gendis, & confirmandis erroribus sternitur?
 At quid hujusmodi corruptelis scelestius?
 quid perverfius? quid execrabilius?

250. Verùm ad istorum præstigiatorum
 improbam perversitatem, intolerabilemque
 impudentiam severè, ut par est, coercen-
 dam, non meus stylus, non mea vox, non
 mea latera sufficiunt, Auditores, sed carce-
 re, sed ergastulis, sed vinclis, & compe-
 dibus tribunalis sacrorum Fidei Catholice
 Quæstorum opus profum est. Cum his
 enim capitibus frustra rationibus pugnatur,
 frustra sunt omnes disputationes, frustra ra-
 tiones, frustra cuncta argumenta. Vestra pro-
 vande auctoritas gravissima, Præules amplif-
 simi

fini, Inquisitoresque providentissimi, necessario interponenda est, à vobis frangi ineluctabiles tæterimæ huic contagioni serpenti omnino iniiciendi, à vobis in fontes, reosque, pœnis ingentibus irrogatis, acriter animadvertendum, à vobis, sancitis pertristis disciplinæ exemplis, divini muneris corruptores perditissimi à flagitio penitus deterrèdi. Quid enim? nonne Ecclesia mater nostra sacrarum literarum vulgari idiomate lectionem suis filijs seriò interdicit? & meritò, ne scilicet idiotæ, atque imperiti inde allucinandi, errandique ansam arripiant. Nonne huiusmodi interdictionem, incassum exadverso obloquentibus, ac frementibus cunctis hæreticis, Catholici omnes Doctores jure optimo timentur? Quanto magis igitur vobis strenuè curandum est, ne imprudentes, præcipitesque isti Concionatores, Concionatores autem? imò Circulatores potiùs, atque Histriones insanas doctrinas sacrorum Codicum depravatione, divinique verbi adulterijs nundinantes, Christianos populos illaqueent, infatuent, inficiant, erroribus implicent, hæresibus impleant? quanto graviùs in hos vobis consulendù est? quanto vehementiùs, & duriùs vindicandum?

Concionatores facetijs, & jocis sacra profanantes suggesta, exagitantur.

251. **S**Ed alia insuper pestis, quanquam Hæreticæ quidem sycophantiæ expers, valde nihilominus etiam noxia, sacra quo-

quoque pulpita fœdè supra modum depopu-
latur. Nā quoties in his pariter Cælestium o-
ratorum sacrarijs, ubi Auditores ad Chri-
stianos mores, atque ad omnem sanctitatis a-
picem sunt informandi, non desunt tamen u-
no plures, qui deserto gravissimo Conciona-
toris officio, ludicrâ festiuitate, leuissimisque
facetiis lasciuientes, aretalogos, & fabulato- A
res agunt? qui Concionem illiberalibus dicte-
rijs farciunt, mimicis salibus condiunt, scur-
rilibus jocis exhilarant? qui comedorum
proscenia, histrionumque acroamata in subli- B
mes sacrosancti Evangelij exedras transfe-
runt? quoties in his sempiternæ veritatis san-
ctuarijs cernuntur etiam, qui Gnathones, & C
parasitos amulantur? qui procacibus sannioni-
bus nihil ferè concedunt? qui scurras ad ung-
uem referunt? qui mimos, & pantomimos cu- D
mulatè præstant? quoties istic pariter audiun-
tur, qui dictis, scommatisque juvenantur, & E
verò etiam bacchantur? cui, ubi lugubri ora-
tione Auditores ad proferenda crimina
sunt impellendi, eosdem inuito lepore ad risum
invitant, risu vel tetricis, ac superciliosis excu-
tiunt, risu tota subsellia, & templa complent?

252. Prò dedecus indignum! prò nefas
infandum! Et quibus ego id crimen verbis in
præsens, Antistites sapientissimi, satis luceam?
quibus sententijs satis detester? quibus telis
monstrum a deo infame, tætrumq; conficiam?
Agite munus ipsum pervulgandi Evangelij
primum omnium appello. Quum Christi Do-
mini doctrinam, à quo denuntiatum constat

va ijs, qui nunc ri dent, Concionatores trade-
 re debeant, quâ fronte inuerecundi isti promi-
 condi urbanitatis audeant incitare Auditores
 ad risum? num argumentum, quod tractant,
 postulat, ut cum risu misceatur? an locus, qui
 templum est, hoc exigit? num finis ab ijs qua-
 rendus, id patitur? an ipsorum Magister, qui
 sapius fleuit, ridere nunquam visus est, ita eos
 instituit, aut ad concitandum risum erudit?
 ô risum multo gemitu, magnaue complora-
 tione omnium, quibus Dei honor, animarum-
 que salus cordi est, excipiendum, expiandum-
 que! ô facetias tam alieno loco, tamque pe-
 rulanter, atque importunè prolatas omnino
 infacetas, insulfasque, tum plurimis etiam
 suspirijs, lacrymisque planè dignissimas!
 quàm austerè enim, stricteque insignia illa sa-
 pientiae luminaria, veteres, sanctique Patres,
 cunctas facetias, & jocos non solàm à sacris
 Concionibus, sed etiam à privatis colloquijs
 submoverunt, circumcidendosq; sanxerunt?
 quàm universè non tantum viros sacros, sed
 etiam profanos, quibuscunque ridiculis seriò
 prohibuerunt? An vos fugit, quàm disertè S.
 Ambrosius testetur, *licet interdum honesta jo-
 ca, ac suaavia sint, tamen ab Ecclesia abhorrere
 regulâ, cavendumq; in fabulis, ne inspectant gra-
 vitatem severioris propositi a?* An non observâ-
 stis, quàm sapienter ex formidabili illâ Chri-
 sti Domini comminatione: *Va vobis, qui ri-
 detis, quia flebitis:* idem sanctus Doctor mox
 plorabundus colligat, *nos ridendi materiam re-
 quirere, ut hic videntes, illic fleamus:* adeoque
 a lib. 1. de offic. cap. 23. non

non solum profusos, sed omnes etiam jocos declinandos arbitratur? an non dispicitis, quam præcisè jubeat S. Basilius: *b* vitædas omnes omnino in sermone facetias, scurrilemque, dicacitatem? Si quidem fieri solet plerumque, ut qui se se in rebus istiusmodi occupant, ij rectam rationem deserant; quippe quum ex eo illud fiat, ut animus ad ridicula diffundatur, & in tacita secum cogitatione gravitatis, severitatisque, nervos omnes elidat? quàm rotundè B. Petrus Damiani Marino patrueli suo præcipiat, *c* ut scurrilis quoque, urbanitates, sales, facetias, leporesque verborum à labijs suis, tanquam Gentilitatis quo Adam præputium circumcidat? quàm clarè S. Joannes Chrysostomus pronuntiet *d* facetias illis dumtaxat licere, qui in scenâ ludunt: subdatque Vbi turpitudine, ibi & urbana facetia. Vbi risus intempestivus, ibi & urbana facetia. & paulò post: Parasitorum est res ista, mimorum, saltatorum, fornicantium mulierum, procul à mente liberâ, procul ab ingenio, procul etiam à servis. Si quisquam est ignobilis, si quisquam est turpis, & obscenus, iste sit & urbanè facetus. Denique urbano autem nihil impudentius. At quid, obsecro, tam multiplici sanctissimorum Patrum censurâ de hujusmodi piaculo actâ, & peractâ gravius? quid acerbius? An igitur magistri præcæ disciplina, ac modestiæ, tam prudentes, ac fortes, qui sales, facetias, leporesque verborum à domesticis etiam, familiaribusque sermonibus

R 5

exa-

b cap. 13. constit.

c lib. 6, Epist. 26.

d hom. 17. in cap. 3. ad Ephesios.

exulare profus voluerunt, hæc inorum deli-
nestamenta in ipsam Evangelij prædicandæ
sacro sanctam provinciam, in ipsas divinarum
Concionum sedes inferri, intrudique patien-
tur? patientur verò? imò certè summopere
stomachantur, indignantur, execrantur.

253. Sed ne cui sit ambigendi locus, quàm
enucleatè, sapientissimi Judices, S. Hierony-
mus ad Nepotianum scribit: * *Docente te in
Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscite-
tur. lacrimæ Auditorum laudes tuae sint?* quàm
egregiè mox arguit? *Omnes delicias, & lepo-
res, & risu dignas urbanitates, & ineptias ama-
torum in comædijs erubescimus, in seculi homini-
bus detestamur: quanto magis in Monachis, & in
Clericis, quorum & Sacerdotium propositio, &
propositum ornatur Sacerdotio. quàm perspicuè
alibi b idem eadem de re decernit? Quemcum-
que videris in Ecclesia declamatorem, & cum
quodam lenocinio, ac venustate verborum exci-
tare plausus, ac risus excutere: scito signum esse
insipientia, tam ejus, qui loquitur, quàm eorum,
qui audiunt. At num quæquam placidiùs de
sermone cujuslibet Sacerdotis melleus cate-
roquis. Bernardus constituit? scilicet placidi-
us, quis acriore stylo nugas omnes, ne dum fa-
cetias, aut jocos, à viris Deo sacratis usurpa-
tas, quàm ipse infestatur? quot, quantisque a-
culeis suam orationem in tæterrimam hujus-
modi abusionem, labemque vibrat, ac torquet?
* *Inter seculares, inquit, nuga sunt; in ore Sa-
cerdotis**

* In Epist. 2.

b In Ecclesiasten. cap. 7. vers. 17.

c lib. 2. de Consilio 8.

serdotis blasphemia, &c. Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam aperire ill' os, assuescere sacrilegium est. Labia Sacerdotis, ait, custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius: non magis profecto, vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti, urbanit' nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum. Fœdè ad cachinnos moveris, fœdius moves.

254. Quàm magnâ pariter justâque oris, & calami libertate hanc eandem jocorum licentiam criminatur S. Gregorius, Græciæ lumen, Nazianzique Sol? quàm dilucidè, quàm caperata fronte? * Non sumus, inquit, plerisque similes, qui veritatis doctrinam casponum vitis adulterant, vinumq; aqua admiscunt, hoc est, doctrinam cor exhilarantem cum vili & vulgari, humiq; reptante, & evanidâ, frustra q; & temerè fluente (qualis sine dubio illa quoque, quæ facetias ferit, & hinc risum metit) (ut ipsi ex hac casponatione non nihil emolumentum capiunt) aliâq; alio modo cum ijs, à quibus adcurantur, verba faciunt, omnibusq; assentantur, ventriloqui sanè homines, & vaniloqui, voluptatibus suis obsequentes, easq; verbis è terra pronuntiat, atque in terram accumbentibus (cujusmodi præcipuè sunt jocosa, & scurrilia) ut sit maximè populi existimatione floreât, aucupantes.

255. Nunc, jocularium hujusmodi Concionatorum, qui munus Apostolicum prædicandi Evangelij concinnatis facetijs, mimicâque levitate fœdare nihil verentur, quæ sit mens,

R 6

quod

* Orat. 21.

quod consilium, quæ frons, quæ animi indu-
 ctio, scitor ego, amplissimi Præules. Non au-
 diunt hi gravissimum senatusconsultum jam
 recitatum contra sua id genus flagitia à ve-
 teribus, sanctisque Patribus factum? non in-
 telligunt suos istos sales, & jocos ab Ecclesiæ
 regula abhorreere, legendi materiam prebe-
 re, nervos omnes gravitatis, & severitatis
 elidere? non animadvertunt, tanquam *Gen-
 tilitatis præputia*, B Damiano iudice, esse am-
 putandos, licere dumtaxat ijs, qui in scena
 ludunt, proprios esse parasitorum, mîmorum,
 saltatorum, scortantiumque mulierum? non
 vident ex ignobili, turpi, obscæno, impuden-
 tique ore fluere? non sentiunt profanis quo-
 que hominibus vitio verti, signumque esse in-
 sapientiæ tam ejus, qui loquitur, quam eorum,
 qui audiunt? non percipiunt inter *blasphemias*
 numerari, sacrilegijque accenseri, ab au-
 re quoque, ne dum ab ore relegandos, scedè
 ad cachinnos movere, scediusque, qui mo-
 vet, moveri; se verò *vani loquos* ac *vantilo-
 quos*, vel ut aptatumque perdita mancipia per-
 tineri? His porro tam indecoris notis, atque
 stigmatibus jocosî isti, mimicique Conciona-
 tores à tam verendo sanctorum Patrum Sena-
 tu inulti, deformati, turpificati, ac damnati,
 num tandem insaniam agnoscunt suam? num
 impudentiam intuentur? num sceleris indig-
 nitatem cernunt? num tam enormium cor-
 ruptelarum pudore tandem aliquando suffun-
 duntur?

256. At fallor ego, Antistites sapientissimi,

fallor

fallor planissime, qui nugatores istos, sanctorum Patrum suffragijs, atque auctoritate ab amentia conor depellere. Quum enim & sanctos Patres, & divinas quoque Scripturas jocos, disterijs, & facetijs contaminare, ludibrioque habere soleant, scilicet & quascunque sententias, judicia, vel reprehensiones inde ejaculata nihili facient, nulloque loco numerabunt. Quibus igitur telis, atque hastis, non frustrato ictu, sunt confodiendi? Quoniam Logodædali isti sacros Auctores in Concionibus flagitiosè turpant, ac pro sacris ethnicos perversè substituunt, ingeruntque, agite Auditores, ethnicorum quoque hominum documentis prævalide modò pulsentur, ut ijs saltem perstricti, suam demum nequitiam introspiciant, discantque semel erubescere. An Epicteti *a* Philosophi placitum exquisitis? Censet is risum movere, rem esse vulgarem, detrahere personæ venerationem, eamque despiciatui exponere. Catonis *b* senioris opinionem postularis? statuit is eos, qui ridiculis student, in serijs videri deridendos. Aristotelis *c* oraculum desideratis? decorant is scurrilitatem ingenuo viro minime, ne dum Oratori, congruere, eosque, qui facetijs alios oblectare curant, pro scurris putandos. Vultis præterea Demetrii Phaleri *d* scitum? Præsto est. cuncta, quæ scurrilitatem redolent, aptiora
mimis

a In Enchiridis cap. 49.

b Apud Plutarchum in Apophthegmatibus.

c lib. 3. Rhet. cap. 20.

d Partic. 85. apud Panigarolam.

mimis affirmat. Vultis M. Tullij Ciceronis
 sententiam? ad manum est, quovis scurrili
 loco, aut mimico severè interdicit Oratori.
 Vultis denique Fabij Quintiliani *b* effatum?
 in promptu est, scurrilem dicacitatem, &
 scenicam personæ Oratoris alienissimam asse-
 verat. Itane verò, æquissimi Judices, Ethni-
 ci etiam Rhetores civilem quoque Oratorem
 omni scurrilitate omnino prohibent; urbani
 autem isti declamatores eam ne à sacris quidè
 Concionibus abstinebunt? profani Philosophi
 Christianæ disciplinæ penitus etiam ignari,
 facetias, & jocos honesto viro convenire ne-
 gant? & isti Cælestem Christi Domini lega-
 tionem in sacro suggestu obeuntes, hujus-
 modi illicita hilaritatis, risusque irritamenta
 in ipsa quoque divini Evangelij prædicatione
 adhibere, ac frequentare nil pensi omnino
 habebunt?

257. At enim, inquiunt, his condimentis,
 & salibus homines deliniti, ac prolestatu,
 Conciones libentius audiunt, cæratim ad
 eas confluunt, auditoria, & Templata tota passim
 refertiunt. Non abnuo, ultroque fateor. Sed
 quid tum postea? Multo libentius quoque viri,
 feminaeque profanas Comœdias, Histiones,
 Circulatores, & Mimos audiunt, spectantque,
 quin etiam frenâ non illiberali donant,
 agminatimque ad eos convolant. An igitur
 continuo & Concionatori integrum est, isto-
 rum artibus Auditores perlicere, atque inescare?
 Minimè gentium; siquidem finis ipsi pro-
 positus

a lib. 2. de Orat. *b* lib. 6. cap. 4.

positus est, non solum ut cupidè, studioseque
 audatur, sed etiam ut cum bonà Auditorum
 fruge, ac fructu divinam sementem faciat.
 A quis nescit, quanto propensiore voluntate
 homines operam navant, auresque præbent
 facetijs, ac jocis, tanto magis à rebus divinis
 avocari, ha. umque in fastidium adduci? quis
 ignorat Concionatorem ipsum falsè distis,
 urbanitatisque indulgentem illico evilesce-
 re, levem, vanum, futilemque reputari, iustum,
 & despiciatissimum reddi? cui non compertum
 animum, qui facetijs oblectatur, turpiter, ut
 monet a S. Chrysostomus, effeminari, insta-
 bilemque evadere? magnam item dissolutionem,
 ut idem scribit, *inhabitare mentem faceti; pie-
 tatem autem illius fugatam, timorem exterminatum?*
 quis non intelligit, *plerumque fieri
 solere, b S. Basilio teste jam laudato, ut qui
 sese in facetiis occupant, ij rectam rationem dese-
 rant?* quis non agnoscit jocis omnes gravitatis,
 severitatisque nervos, ut jam ex eodem Basilio
 memoravi, funditus elidi? quis non videt,
*rem istam, ut ex d Chrysostomo jam recitavi,
 parasitorum esse, mimorum, & saltatorum?* quis
 hinc non colligit, quum adeo despectus,
 contemptuque vulgo fiat, qui facetijs, jocisque
 utitur, quacunq; facultate, ac vi persuadendæ
 veritatis, abstrahendique Auditores à vitijs
 necessariò orbari? quis non animadvertit,
 hanc ipsam facetiarum nundinationem, *signum
 esse, ut jam ex Hieronymo audistis, insipientia
 tam ejus, qui loquitur, quam eorum, qui audiunt*
 cui

a Loc. cit. b Loc. cit. c Loc. cit. d Loc. cit.

cui non perspectum est, istas urbanitatis delicias ad omnes pietatis igniculos restinguendos, rerumque divinarum sensum de humanis pectoribus radicitus evellendum esse planè potentissimas? quis denique non cernit, etiam si Concionator facetias, & jocos sine ullo Auditorum detrimento libare posset, quum tamen ex illis insignis injuria, gravisque contumelia & divino verbo, & Apostolico muneri irrogetur, nefas adhuc omnino ei esse, ijs sacro in suggestu connivere?

256. Quare, quum lepores hujusmodi sermonisque blanda salsamenta, & salgama sacris Concionibus & contra sanctorum Patrum sanctiones, & contra civilium etiam Rhetorum præcepta, & contra quoque ethnicorum Philosophorum consulta misceantur, & quidem nullo operæ pretio, sed magno cum Auditorum damno, meritissimò S. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus pronuntiat, nugatores istos, ac fabulatores gravissimum sibiipsis detrimentum, imò exitum afferre, innoxiumque animarum cruorem, de manibus ipsorum aliquando requirendum, effundere.*

259. At quid ego pluribus cum facetis istis hominibus disputo? quid argumentis, & testimonijs magnitudinem, enormitatemque sacrilegi facinoris eos frustra docere conor, quos jam dudum minimè pudet, esse naviter impudentes? Vestram potiùs opem, Præsules amplissimi, fidemque imploro, ut unicum remedium, quod superat, vestràque in manu totum

* *Loc. cit.*

tum est, gliscenti in dies magis, latiusque
grassanti malo quàm primùm strenuè admo-
veatis; ut scilicet perniciosas istas Concio-
num corruptelas, *tanquam scandala, & fide-
um offendicula*, quemadmodum jubet Conci-
lium Tridentinum, a ferro comprimatis,
tamque ineptos, damnososque Concionato-
res debitas luere pœnas cogatis; in primis ve-
rò ad Cœleste prædicandi Evangelij officium
prorsus relinquendum, sicut Concilium b Se-
nonense decernit, quàm ocysimè compella-
tis.

*Concionis prior pars vana, fructusque
posteriori tantùm relictus, gravi-
ter reprehenditur.*

260. **H**Oc ego jam pralio sanè cruento
cum istis ludionibus inito, prospere-
que, ut reor, confecto tandem defunctus, præ-
termittere nullo modo possum in præsens,
Antistites sapientissimi, quin aliam insuper
pugnam cum nonnullis Adversariorum ami-
cè pugnem, qui etsi calamum quidem; & lin-
guam in Concione à facetijs, jocisque con-
tentè, ac sedulò reprimunt, nihilominus po-
steriorem dumtaxat illius partem sollerti, so-
licitæque persuadendi curæ, nec non mo-
ralibus animi affectibus commovendis, frugi-
feræque dictioni, ac perorationi substituen-
dæ impendunt; priorem verò, acumnum in-
temperantiæ, immodicis, arcellitisque descri-
ptio-

a Sess. 25. decreto de Purgatorio.

b Cap. 35.

pronibus, ornamentorum luxu, ingenio-
 stentationi, inanibus bullis, atque crepandis
 expoliendis, dilatandis, amplificandis, in
 majus celebrandis totam liberaliter indulgent;
 cā miram gratiā, quæ admodum prætexunt
 ut ipsos Auditores hujusmodi indulgentiā,
 sermonisq; blanditijs jam captos tempestivè
 deinde incitatione dicendi caractere aggre-
 diantur, validioribusq; armis percillant, ac
 feriant. Quā bipartiā concionandi ratione,
 incredibile dictu est, quā valdè isti sibi pla-
 ceant, atque in sinu gaudeant, Putant videli-
 cet, se Argonavi, secundisque ventis Calchos
 jam navigasse, aureoque vellere, ut est infa-
 bulis, feliciter esse potitos, hoc est, persuasissi-
 mum habent, se mirā prudentiā utile dulci
 ita miscere, ut simul Auditorum curiositati
 gratificentur, & ipsorum quoque utilitati ser-
 viant, consulantque; atq; adeo suo etiam mu-
 neri simul cum eximij ingenij laureolā feli-
 citer adeptā, egregiè una satisfaciant; parumq;
 planè abest, quin idcirco etiam, tanquam de te-
 nebricoso quadrandi circuli mysterio cunctis
 Mathematicorum quoque scientissimis hacten-
 us incomperto, à se denique prodigialiter e-
 ruto, atque enucleato magnificè gloriantur.

261. Verum quantopere ij quoque versico-
 lores Concionatores, utcunq; sibi etiam mul-
 tum blandiantur, magniq; viri vulgò habeantur,
 suā opinione fallantur, longeq; suo ab offi-
 cio pariter discedant, nullo ego negotio jam
 revinco, Patres amplissimi, Sed, ut collato pro-
 pius dimicem pede, citiusque ad disceptatio-
 nis

nis metam decurrat, lubet jam, unum ex istis huc ad singulare certamen evocare. Prodeat illico in medium, quicumque viribus, ingenio, eloquentiæ præsidio, causæ firmamentis confidit; quocum ego actutum ita disputo. **A**
 In confesso in primis est, si ea, quæ in priorè Concionis parte edifferantur, ijs, quæ in posteriore utiliter sunt explicanda, accommodata sunt, conducuntque aut opitulantur, illa jure reprehendi non posse, nec qui eâ ratione primam condunt partem, ideo vituperari; ac proinde nullam mihi cum ijs hic esse controversiam.

262. Sin autem ejusmodi ea sint, ut alteri partinequaquam suffragentur, neque inserviant, in vitio sunt tam illa, quæ inaniter profunduntur, quam ipsi, qui ea frustra profundunt. Quid enim monstruosum magis, atque absurdus, quam sacram Concionem, Apostolicam machinationem à Christo Domino ad flagitiosarum arces voluntatum expugnandas instructam, Concionatorique Legato suo creditam, non totam, integramque ad animarum commodum referri, sed alterâ tantum parte esse salutarem, alterâ verò profus inuilem? quid infelices, quam ramus dimidiâ sui parte aridus, dimidiâ que solùm viridis? quid turpius, quam matrona supernè pube tenus nuda, infraque dumtaxat testâ, per urbem incedens? quid ineptius, quam moriones discoloribus tegumentis partim coccineis, partim flavis, vel candidis, ad risum principibus viris excipiendum, induti; quid deformius, quam
 Cen-

Centauri à Poetis ex hominis dimidio, dimidioque animalis coagmentati, ex toto planè beluæ, ac portenta? At quis paulo confiderator non animadvertat, tuam Concionem, dum unam ejus partem incassum omnino prodigis, nihil aliud reipsâ esse, quàm bifurcum ramum, hinc præ acuminum grandine, cultusque munditijs retorridum, sterilemque, illinc ciendi affectus contentione humescentem, ac viridantem? quis non indignetur, sacram Orationem, honestissimam omnino matronam, dum eam ab initio ad alteram usque partem argutijs sensiculorum, Academicis leporibus, curiositatis illecebris pudore nullo prostituis, scèdè admodum abs te nudari, omniumque oculis, velut meretriculam, exponi; postremâ autem laciniâ tantummodo, seriæ dictionis amictu verecundè velari, atque ad honestatem rite componi? quis non effusè rideat, quum te sacro in suggestu prius levissimum Declamatorem agere, deinde gravem Concionatoris personam induere, instarque morionis, aut sannionis dimidiatim candidatum, dimidiatimque pullatum, delicatarum nugarum ligustris inallescere, simulque inexpectatæ severitatis vaccinijs livere decerpente, perspicit? quis secum non reputet, quâ priorem partem per floridarum descriptionum, blandarumque venerum amœna prata, asturconis more, spatiantem, cum posteriore in hominis resipiscentis formam desinente, conglutinare niteris, à te non tam Concionem, quàm Centaurum, ex equina, humanâq; specie

cie conflatum, extoto monstrum biforme, im-
mane, atque insanum, quale nulla gignit, neq;
unquam genuit, aut vidit Africa, procreari?

236. Sed levne flagitium tu putas, majo-
rem Concionis partem frustra conterere, Au-
ditoresque magno fructu, quem ex ea, quando
utiliter pertractatur, hauriunt, fraudare? Id e-
nimverò quoniam istorum vulgo, ut par est,
non satis liquet (date mihi, quaeso vos, Patres
gravissimi, modò hanc veniam, ut imagine,
atque exemplo paulo sanè humiliorè, ac ferè
ridiculo, vestrisque auribus minimè digno, at
perniciosa istorum corruptelæ internoscen-
dæ, ridendæque per quàm apposito, ac penè
necessario, tempestivè in præsens uti per sin-
gularem vestram humanitatem mihi integrum
sit) quoniam, inquam, hanc de qua modò con-
queror, perversitatis gravitatem dimidiati i-
sti Concionatores necdum intelligunt; tu fa-
nè, qui eadem oberras chordâ, omni jentacu-
lo, prandio, merendæque abstinere; ac vespe-
re tantum cœnare, neque integram cœnam,
sed cœnulam dumtaxat, & quidem terrestre A
sine ullo obsonio, ut solemnibus feriis esuria-
libus fieri consuevit, libare cogendus omnino
essès; tum enimverò latrantis, reclamantisq;
ventris tumultibus, cruciatibus, & supplicijs,
tuo malo disceres, ac fatereris, vitam corpo-
ris, tam pauxillo cibo agrè admodum susten-
tari posse, imò ne diu quidem posse, sed brevi,
necessarioque abrumpendam. At simul etiam
agnosceres tandem, quantum nefas à te con-
trahatur, quum Auditori nullas dapes in priore
parte,

496 P. IV. DE PRIMA CONCIONIS
parte, tanquam in primo missu, quæ casti-
gandis moribus usui sint, præbes, sed cun-
ctas ex fumo solum, & aurâ vanitatis coag-
mentatas ingeris, quibus animus ipse non pa-
scitur, sed acriore fame idonei, ac robusti eibi
torquetur; tamq; exiguam salutis escâ secunda
tantum mensæ appositâ, vita animæ ipsius re-
foecillatur. Quum autem, ablegatis primæ pat-
ris levidentis, apinisque, incipis in alterâ seriò
loqui, venasque, & arterias ægrotantium ex-
plorare, apta remedia præscribere, edulia ac-
commodata febricitantibus præbere, tum qui-
G curq; divini pabuli inediâ penè confectus est,
de malignâ tuâ caritate, immaniq; ambitione
sic merito tecum expostulat, Cur hujusmodi
candido vitæ pane me in priore etiam parte
non refecisti? cur frondibus dumtaxat, & gryl-
lis in eâ me aluisti? cur tam modicum lauti
tibi mihi in fine convivij solum dispertis, non
ad explendam, sed ad læcessendam famem?
cur, ut tuo genio indulgeres, opiparoque elo-
quentæ epulo tuam saginares superbiam, ani-
mo me linqui, & concidere passus es, vixque
in posteriore parte nonnulla optimæ dapis
frustâ mihi porrigis, quando stomachus præ
immodicis tuorum acuminum, leporumque
bellarijs fastidij plenus, atq; indignabundus,
viribus sese ad ea digerenda defici plaudè sen-
tit?

264. At parum est priorem partem frustra
absteimpendi; quid quòd posteriorem quoq;
nullo ferè operæ pretio itidem perdis? Nam
ubi tu primam infructuosam prorsus ex tuo
ingenio

ingenio declamitasti, quid, obsecro, tandem emolumenti, quid commodi ex alterâ possis exprimere? nihil omnino. Ut enim pervicacem scelesti hominis animum frangas, subigasque, quam multâ impressione opus est? quam exaggeratis rationibus? quam perspicuis documentis? hæc verò ut probe explantur, affiganturque; Auditori, ut vehementer augeantur, extollantur, amplificentur, quantum temporis intervallum requirunt? quantum spatii? quantum moræ? At maiore Concionis parte jam absolutâ, in alterâ quàm parva temporis usura tibi reliqua est? quam exigua intercapedo? quam magnæ angustia? quo pacto igitur tam brevi temporis vestigio multiplices amplificationes, quæ ad veritatem Auditori persuadendam sunt necessariae, laxumque spatium omnino exigunt, fabricabis? quomodo dilatabis argumenta? quomodo, quæ sunt involuta, evolves? quomodo, quæ aspera existimantur, emollies? quæ obscura, illustrabis? quæ implicata, explicabis? quæ adversa, rejicies? Deinde, etiamsi spatium temporis ad dicendum abunde tibi adhuc suppeteret, quum tamen Auditores ipsi tuo illo tam assiduo, spissoque acuminum, acroamatumque; Academi- A
corum imbre, quem priore parte effudisti, jam fatigati, ac delassati, ingenti aurium fatietate B
teneantur, nauseabundique te concionantem auscultent, ac finem Concionis valde impatienter expectent; an ita in consultus, omnibusque consilijs præceptis, & devius es, ut non cernas, ex supervaquo te, quò tales Auditores
fig.

stomachabundus tuam in sententiam trahas, laboraturum? frustra fore tuos omnes conatus? cunctam operam, oleumque tibi omnino periturum? num adeo hebes, ut nescias, quoties Auditor fatietate defessus dicenti operam non dat, neque animum attendit, nec quæ loqueris, combibit; licet cunctas eloquentiæ opes, ac nervos adhibeas, tamen perinde planè esse, ac si mortuo coquas cœnam, aut surdo fabulam narres, vel saxi verba facias?

265. Sed age, fac etiam Auditores nullâ fatietate affectos, nullo tædio victos, sed alacres, vigentesque animis, & corporibus aures, ac mentes ad tua dicta admovere; qualis, rogo, demum erit tota ista tua Concionis posterior pars? quâ firmitate? quo robore? quo rationum pondere? Nonne universi Rhetores sacri, & profani etiam sancunt, argumenta, mores, atque affectus è causâ visceribus esse eruendos? Exploratissimum est. Tu verò totâ primâ Concionis parte, quid agis? quid moliris? de conformandis moribus nihil sollicitus, Academicis dumtaxat questionibus, curiosis interrogatiunculis, otiosis disceptationibus, manibus fulgetris ingenij enodandis, emedullandis, eviscerandis anxie studes, ac totus vacas; Cælestis verò diplomatis, sanctorumque Patrum sententias vix primoribus labris attingis, valdeque etiam rarenter; contra autem descriptiones & intèpestive arcessis, & nimis expandis, & longo sirmate sine modo circumducis, rerumque exilium identidè non tam amplificationes, quàm mæscaria ope-
rosè

rosè coagmentas At quid, oro, rationum,
 quid morum, aut affectionum ex his, & simi-
 libus tuæ Concionis non firmamentis, sed
 nugamentis tu unquam elicias? muscas qui- **B**
 dem ex hujusmodi muscariis, & apinas ex pi-
 ctis istis ineptijs, atque intemperijs educes af-
 fatim, rationes autem, mores, vel affectus mi-
 nime. Nam persuasionis hæc instrumenta, quæ
 in altera parte ad motus miscendos, arietan-
 damque voluntatem sunt expromenda, præal-
 tis, solidisque amplificationum fundamentis
 in prima parte jactis omnino indigent, quæ u-
 bi desunt, quis non intelligit, & illa quoque
 necessariò vacillare, lapsabunda evadere, ac
 ruinæ proxima, tandem ad ima præcipitari?
 quis non videt simillima ea esse agrestibus cas-
 sis, ac mapalibus, quæ extemporali operâ sine
 solo ædificata, vel levissimo auræ flatu distan-
 tur? quis non experitur turbellas illas, quæ si-
 ne præviâ apparatione in posteriore parte a-
 gitantur, esse tenues quasdam animi commo-
 tiunculas tantummodo, quæ, instar Martij So-
 lis vapores elicentis quidem, sed non conco-
 quentis, aut dissipantis, mox sine ullo planè
 fructu tepescunt, languescunt, evanescent?
 Nimirum, quum diu multumque habenas pu-
 erilibus fabulis, ac jocularibus in prima parte
 laxasti, utcunque deinde in altera vocifereris,
 utcunque te agites, utcunque Numen, & supe-
 ros inclames, nunquam scelestum ullum, præ-
 fertim ex ijs, qui malitiæ ipsi jam dudum coa-
 luerunt, ad frugem corriges. Si enim priorem
 inutilem condidisti, frustra ex posteriore ul-

S

luc

265. Sed quid ego de inanitate tuæ primæ
partis conqueror, quum ea alteri non solum
minimè proffit, sed etiam plurimum obsit?
Quantum enim ponderis ad persuadendum
habent Oratoris mores, prudentia nimirum,
probitas, & benevolentia? quantum virium?
quanta hinc auctoritas dicenti comparatur?
quanta existimatio? quanta animorum flec-
tendorum potestas? quem vestrum fugit? quam
liquido hoc ipsum dudum antea jam docui?
At, dum tua Concio statim initio, ornamen-
torum luxu, velut meretriculâ, intemperan-
ter exculta, Academicis floribus cincinnata,
Poëticis argutiis crispata, Ethnicis doctrinis
cerussata, peregrinis acuminibus calamistra-
ta, putidæ ostentationis, atque affectationis
purpurisso oblita, ab Auditoribus conspicitur,
totoque ferè prioris partis spatio cunctorum
auribus lenocinatur, non animadvertis, ho-
mo inconsulte, his tot, ac tam fœdis eloquen-
tiæ sacræ adulteriis gravissimo Conciona-
toris nomine, atque officio te acturum exui,
abdicarique; ex adverso autem scholasticum
declamatorem, quid declamatorem? imò sal-
torem, circulatorum, Histrionem, ac mo-
tionem te ab omnibus, quibus cor sapit, jure
optimo censeris? non vides tam probrosis notis
te inustum, ex templo omni penitus auctoritate
apud cunctos orbari? non intelligis, ita con-
temptum despectumque si persuadendi pro-
vinciam in alterâ parte auspiceris, omnem opte-
ram te esse lusura,

Quid

266. Quid quod totus iste tuæ eloquentiæ apparatus, etiamsi auctoritas integra adhuc tibi constaret, nihilominus cuncta persuadendi præsidia sufflaminat, præpedit, evertit? A Quid enim? nemini dubium est, quin multo calore, & siccitate, ut lignum viride, multoque humore imbutum accendas, prius ex præparato sensim tibi arefaciendum sit; insigniteq; B delirares, si contra multâ nive, geluque illud consterneres, ut palàm est. At quid, obsecro, Auditores ipsi, qui tuæ intersunt Concioni, C sunt, nisi quædam materia divini amoris igne plerumque expers, cfræniumque viriditate D appetitionum, nec non terrenorum madore cupiditatum valde uda, atque uliginosa? Tu verò politule Orator, ut huiusmodi Auditores ita udos, uliginososque Cælestis amoris factibus in posteriore Concioni parte inflammes, quid meditaris? quid consilij capis? multâ nive, glacieque frigidissimorum verborum, & sententiarum, multo rore, & pruinâ nivalium acuminum, gelidorumque ornamentorum antea in priore parte eosdem Auditores penitus obruis. O imprudentiam! ô perversitatem! ô imperitiam! Et quæ, rogo, præparatio ad ignem eliciendum magis præpostera esse queat? Hæc certè ignem nunquam faciet, sed factum extinguet, ac, ne porro concipiatur, prohibebit. Nam ubi prius lusisti, cecinisti, nugatus es: clamita deinde, ut lubet, quiritator, ut lubet, ede suspiria, ut lubet, perstrepe quocumque modo. luge, ulula, vociferator, ut lubet; nihil tamen proficies; neque ingen-

tis illius molis niver, quã totam primam partem cunctosque Auditores operuisti, vel minimam particulam, ne dum cor induratum, unquam liquabis, aut molles miseri illi, vide, præ frigore pietatis penè obrigescunt, animaque agunt; ut autem incalescant paulatim, ac reviviscant, flagrantissimo æstu, summoque fervore indigent; tu verò nive geluque undique eos circumdas, ac tumulas. Et potestne magis absurdè rerum naturam invertere? Illic nive frigidior tua conglaciavit Oratio, hic quo pacto de repente ignescat? Illic hilaritati dedisti operam; hic quã ratione lacrymas exprimas? illic joculariter egisti, hic quomodo Catonem induas? Non cernis inter tam dissentanea, ac disparata implacabilem simultatem, æternam, ac manifestam pugnam?

267. Quod si neque dum resipiscis, dic, quæso te, si Mimum, aut comædum, abjecta larvã, à scenã, ac theatro discedentem, sumptã improvisò Concionatoris personã, sacrum suggestum scandere, magnãque contentione Christi Domini cruciamenta, quò homines ad expianda scelera impellat, quibus paulò ante multum risum excussit, ingeminare, ac personare tuismet oculis conspiceres; quid tibi de versipelli hoc ludione videretur? haberesne illi fidem? scilicet. Lacrymas effunderes? nihil minùs. Dederes de illi? Fabulã. Quid ni verò? Nempe quòd natura ipsa unumquemq; doceat, contraria effecta à contrarijs causis proficisci; atque adeo, quum ille histrio in proscenio multam risus sementem

jecce-

jecerit, non posse eum illico postea sacro in suggestu lacrymas, sed risum dumtaxat metere. Haud secus pariter, & multo magis, quam tu, in priore Concionis parte Academici stili, evanida, & que eloquentia algida prunâ cunctos Auditores circumfudisti, integrum tibi deinde non est, continuo post eosdem candentibus prunis perurere sed sicut Comœdus à scenâ, & risu sacrum in suggestum pergens, non lacrymas, sed risum excitat; ita multo magis tu in eodem suggestu, eodemque ferè temporis articulo à levitate, ab argutijs, à nugis, ab inanitate primæ partis ad alterius gravitatem, atque utilitatem transiens, omnes non ad lacrymas, sed ad risum invitas, ridendumque te etiam atque etiam cunctis sapientibus, quod tam pueriliter desipias, laute immolas, ac propinas.

268. Frustrâ igitur, ubi priorem Concionis partem temerè consumpsisti, de fructu ex posteriore colligendo, tibi, & cæteris verba das, frustra blandiris, frustra te spe ullâ sustentas, Adde, quod nonnulli ex Auditoribus, absolutâ primâ parte, seu affectato tuo dicendi genere fatigati, seu aliâ ratione abducti, alterâ parte non expectatâ, illico facessunt è Templo; atque ita solam vanitatem ex hac tua concionandi formâ ebibunt, nulloque profus salutis compendio, sed potiùs non levi interdum etiam impendio discedunt.

269. Denique libenter ego ex tam erudito, disertoque Oratore, ac myltagogo abditæ sapientiae arcana, quæ hactenus ignoravi, jam

primùm discam. Unde enim, rogo, novum istum concionandi morem, partim inutilitati conniventem, partim fructui studentem, ex toto demum reapse inanem, hausisti? quibus ex monumentis? quibus ex Auctoribus? Age, Rhetores omnes, sacros, & profanos, veteres, ac recentes consule, volve, ac revolve; cunctos eloquentiæ magistros, quoscumque lubet, explora, interroga, excute. Si vel unum, unicumque, qui eum, non dico, laudet, vel probet, sed tolerabilem saltem opinetur, appellare potueris, herbam tibi extemplo porrigam. At frustra quæres, frustra indagabis. nullum prorsus effodies, vel æruscabis, quum universi in alia omnia abeant, fanciantque disertissimè, susceptæ causæ ubique velificandum, serviendumque, neque ullus penitus, ne quidem ex ipsismet ethnicis viris, non Aristoteles, non Cicero, non Quintilianus, non cæteri horum affectæ unquam patiuntur, partem aliquam earum Orationum, quarum præcepta tradunt, nullo operæ pretio condi: quanto minis hujusmodi corruptelam facris in Concionibus, si Christum agnovissent, ferendam existimassent.

270. Tu verò, ut sapientior omnibus videaris, insolentem tuam hanc prædicandi Evangelij rationem, quam divini Apostoli, sanctique Patres minimè probârunt, imò vehementer etiam sunt detestati, nunc primò Catholicam Ecclesiam docere pertendis, atque ut ipsam mordicus tuearis, utilè omnino esse confidentissimè asseveras, ac penè juras. Quid ergo?

ergo? num, ut hoc tibi assentiamus, à norma concionandi veterum Patrum discedendum? num cæteros omnes sapientissimos viros, qui divini verbi cælesti planè spiritu longè aliter, nunc etiam personant, allucinari; tibi verò dumtaxat, qui sacro in suggesto nugas operosè agis, palmam divinæ sementis faciendæ deberi, somniandum? an omnes naturæ leges nobis sunt antiquandæ, cæcatâque intelligentiâ, velut obnupto capite, censendum, nullum **A** ampliùs in rebus ordinem superesse, sed cuncta prodigijs esse referta? num putandum, si- **B** ne ullis fundamentis, vel tibicinibus ingens ædificium in aere pendulum stare? num cogitandum, arbores sine radicibus frondescere, florere, ac fructus ferre? num autumandum, immanes globos ferreos è bellicis tormentis sine nitrato pulvere ejaculari? num fingendum, volucres sine alis volare; pisces sine pi- **C** nulis, caudâq; motu natâre; homines, & quadrupes animantes sine pedibus inambulare, & currere, aliaque id genus portenta sexcenta adeo inaudita, atque præpostera, quotidie ferè pullulare? Hæc sanè omnia, & plurima alia nihilo saniora, aut venustiora, si tua ista concionandi forma improbanda non est, necessariò voranda sunt, & digiranda; si quidem mirificam ædem utilitati animarum dicatam sine fundamentis in prima Concionis parte jactis, in altera pensilem extare, fructû ex Auditoribus sine probationû radicibus in illa fixis, in ista copiosû decerpi; cômotionis prægrandes globos è tubo divini verbi ad pervicaces vo-

luntates prosternendas sine nitrato amplificationum pulvere in ea conflato, incensoque in hac repente exonerari arbitraris; solutumque tibi, ac primum reris, sine ratiocinationum alis in priore parte expansis, confestim ad causam victoriam in posteriore convolare; sine enthymematum pinnis in illa vibratis, ad portum expugnandorum animorum in ista transnatare; sine pedibus argumentorum affectuumque in illa positus, aut motis ad palmam persuasionis in ista continuo decurrere! ô commenta! ô deliria!

271. Nimirum, ut monstrum hoc tuum adeo informe, invisumque reddas utcumque vendibile, & plausibile, cupis summopere, & verò etiam necesse planè habes, exoticam hac Philosophiam universum Orbem imbuere, ut certò credat, ad ignem è ligno excudendum bellè conducere, ut quis ipsum lignum multà prius aquam lautè proluit: nisi enim hoc firmè credat, de tua ista bipertita concionandi ratione astum penitus est, ut iam ostendi. At quia huiusmodi credulitas mera infania est, tuamque istam Philosophiam adeo cerebrosum, ac semisomnium vel ipsammet vetulae focum insidentes quæ ignem non aquam, sed aridis samentis accendi, abunde norunt, jure optimo rident, exploduntque, velis, nolis, fatendum tibi omnino est, te contra omnem Philosophiam, contra omnem naturam, contra universa Rhetorum effata, contra cuncta sapientum oracula incassum pugnare, tuamque serendi Evangelij normam evanidam, distortamque esse
pror-

prorsus vitiosam; ac proinde tanquam animarum saluti valde etiam noxiam, de medio quoque penitus esse tollendam.

272. At ego majorem in modum, Antistites prudentissimi, doleo, atque angor, perversam hanc, damnosamque concionandi rationem, non solum ab illis, quorum mores minus probati sunt, sed à nonnullis quoque ex ijs, qui Religiosam vitam vivere, & disciplinæ severioris amantes esse vulgò putantur (quanquam reapse tales minimè sunt) per statos Dæmonis dolos jam dudum fuisse arreptam. O Tartaream ludificationem, cruentis planè lacrymis dignam! O ærumnosam, infelicemque tot, ac tam nobilium ingeniorum, & virorum, qui in hujusmodi decipulum, labyrinthumque **A** inciderunt, ac porro incidunt, conditionem! Scilicet nulla est in terris virtus extra periculum, neque tam solida, cui Avernales spiritus subinde non illudant. Quis enim Davide sanctior? quis Samfone fortior? quis Salomone sapientior? & tamen hæc quoque virtutum luminaria tam illustria tetrus illecebrarum tenebris aliquando circumfusa sunt, vitis que scædata. Ipsemet humani generis fator, ac parens Adamus, etsi omni lapide pretioso sanctimonie exornatus, nihilominus ne in Paradiso quidem à Dæmonis assultu, ac fraude tutus fuit, sed incunctanter fere, miserique succubuit. **B** Quanto ergo proclivius, etiam qui se Concionatores, & virtutis cultores profitentur, sed fortitudine, sapientiâ, & sanctitate Samsoni, Salomoni, Davidi, **C**

S 5:

Ada-

Adamoque longè impares sunt, ab Infernis legionibus ad divinæ sementis ministerium temerandum impellentur? ò utinam complures hoc veluti magico excantati carmine, ac fascinati, non adeo tenerentur, ut consilia omnia de corruptela emendanda, preces omnes, officia, atque admonitiones tum ab amicis, tum à moderatoribus interposita negligant omnia, omnia etiam repudient ac spernant! Nolunt scilicet hi, in fraudem blandè deducti, intelligere, nolunt sibi persuadere, se vehementer decipi, atque in vitio esse. Et quia non desunt ijs palpatores, qui assententur, amore sui occæcati, cæcisque à ducibus laudati, præfractè dilarare sine ulla remedij spe animosè pergunt, simulque pereunt, & Auditores unâ secum perire sinunt.

273. Cæterùm labes omnis inde derivatur, quòd isti ingenio magis, quàm iudicio, præstant, magisque sui ostentandi, & gloriæ inanis aucupandæ cupiditate recto à tramite abripiuntur, quàm genuinâ, ac defæcatâ virtute obnitantur: atque adeo tenuiore, imbecillioreque spiritu præditi sunt, quàm ut refractariam intelligentiam, impotentemque ambitionem compescere, divinoque amoris, & caritati proximorum subijcere queant, aut potius, si verum sine fūco audire non gravantur, sincerè velint. Unde non obscure liquet, eorundem viriuti multo plus coloris, qui oculis facillè imponit, quàm succi inesse. O si coram Deo, & Jesu Christo seriò aliquando in te ipsum descenderes, tuæque conscientie late-

latebras omnes sedulo scrutareri, quam de subito perspiceres, exiguitatem tuæ Christianæ humilitatis, ingensque desiderium tui nominis celebrandi intus exastuans, ipsissimam esse causam, cur tam inutiles, vanasque Concioniones habeas, nec divinæ consulas gloriæ, plurimasque animas in æternum ruere, ac interire patiaris. Eja, flecte semel ante crucifixum Redemptorem tuos poplites, eumque interroga, an ipsi tua ista concionandi ratio placeat? an ipse, vel Apostoli eam adhibuerint? num per eam gravissimæ tui muneris obligationi satisfacias? an efficacia, & præsentanea remedia Auditoribus tuis ægrotantibus, ac pleiisque scelerum conscientia teterrimè extabescentibus præbeas? Hoc si tu periclitatus fueris, quavis sponsione tecum certare ausim, te repente in divino conspectu Reum convictum, confusumque flagitij turpitudinem, ac perniciem tandem agniturum, deincepsque impensè, ac sedulo vitaturum.

*Circulatorum naturalis Oratio valde potens
cum inani elegantis Concionatoris
comparata.*

174. **Q**uid postremo, Patres amplissimi de innumeris alijs sacræ eloquentiæ erroribus, superstitionibus, & piaculis supinis, insubidis, intolerandisque deplorem? **o** calamitosam Christiana Reipub. vastat omnem! **o** Christi Jesu sanguinem imprudentissimè temeratum! **o** animarum curandarum spes irritas, atque abscessas! Itane verò? lepi-

da ista capita, quæ tot modis Conciones affligunt, tot tantorumque hominum depositam penè salutem blandulo dumtaxat Orationis tinnitu reparabunt? Quid? ut inveteratum scelerum mancipium solvas, ut mollias, ut frangas, quod, rogo, ferrum; quæ, oro, machinamenta sufficient? Rotas in orbem inflammatis sermonis acinacem, ancipitemque cædentis styli machæram? minimum est. Exonerare majora tormenta? exiguum est. Affectuum terribiliora edis tonitrua? Parum est. Terra ipsa, ut momento dehiscat, conceptis verbis à te adigitur? Adhuc parum est. Ipsi Manes è Tartaro evocantur? Non est satis. Dæmonum horrenda cientur monstra? Nec dum dat manus. Peccati sceleris dirâ imprecatione defigitur? Gehennæ timor incutitur? amor honestatis excitatur? turpitudini invidia conflatur? Cælum deducitur? Beatorum agmina inclamantur? Supernæ, Infernæque regiones sursum, ac deorsum miscentur? moles Orbis universa suis emovetur sedibus? omnia ultro, citroque agitantur, ac revolvuntur? Nihilominus scelestus ille adhuc immobilis, impavidusque cunctas has molitiones pertinacissimè irridet. Et tam ulcerosos homines, tam parulentos, tam marcidos (quot autem, & quàm multos, Deus immortalis!) phalerati isti Concionatores suâ Oratione politulâ, festivâ, lacinosâ, argutulâ, acuminibus fartâ, cirris inuitâ emari possent, & persanari existimabunt? ô vesaniam hominum! ô stuporem! Urbis prævalidæ mœ-

niæ

niā diu oppugnans miles, si densos è charta globos ad ea demolienda exploderet, quæro, majorene acrem bombo, an stolidi opinione consilij animos omnium percèllet? At ecce tot Auditores in flagitiorum obstinatione, patrociniōque quibuscunque muris firmiores Si igitur tua Concio levibus dumtaxat argutiarum, leporumque bullis intumescat, eaque præduros, ferreosque illos capitones nitaris prostertere, nonne tanquam emora mentis circulator, omnium eachiinnis excipiendus es?

275. Fallor, gravissimi Præsules. Quin imò videte, quid ausim pronuntiare. Mentior, nisi Circulatores ipsi de trivio multis sacris, profanisque hujusmodi Oratoribus longè nervosius persuadent. Vim, robur, atque potentiam eloquentiæ ab sola ipsa natura, nullo artis præsidio suppeditatam cogitatione, quæso, lustrate. Quum risum ludij illi circumfusæ plebeculæ volunt excutere, decorum perquā religiosè observant. Tum enim verò quia ad movendum risum nihil hisce nugamentis aptius esse potest, acumina, scommata, dicta, facta pleno ore, & concrepantibus buccis effundunt; his falsamentis Orationem condiunt, hos vibrant sensuculos, his jocis lacerant. At quum, missis facetiis, aliquid serio cupiunt persuadere, quum crumenas pecuniā meditantur emungere, tum profecto sermonis mutant genus, tum aliam induunt personam, tum vires omnes in id unum cogunt, in hoc uno curam omnem, atq; sollicitudinem figunt. Videte, quæso, ut explicato leniter stylo sta-

tim utantur. Attendite, quàm appositè exordiantur. De morbis ab hominum corporibus depellendis nimium quantum se anxios esse demonstrant, Auditorum valetudinem sibi vità ipsà esse cariorem, si non pejerant, certè **C**jurant; pharmaci, & cataplasmatum quoddam genus pretiosissimum ad omnes morbos penitus curandos se attulisse, id sibi **C**rcesi gazis **D**omino constituisse; se tamen per exiguo admodum pretio illud velle potius in cives optimos, sibi que carissimos gratis profundere, quàm vendere, modè, liberaliterque significant. Hæc ubi quàm placidè exposuerunt, artificiosè confirmationem adjungunt. **H**erbarum omnium nomina, omnia amuleta, **O**mnes antidotos, omnia cerata, omnes suffigatus, omnia malagmata, ex quibus illud medicamentum confectum est, religiosissimè enumerant, singulorum vim, pondus, pretium, locum ubi nascantur, quò explorentur, adulterentur, corrumpantur, asserventur, diligenter enucleant. Miros deinde affectus eliciunt, mores quàm accommodatè exprimunt, mox plurimè, & prodigiosa testantur experimenta. In his regnant, his dilatant argumentum, his lacinias orationis latè diducunt. Genus omne testium longo agmine recitant. Se universæ Italiæ urbes peragrâsse jactant, ubique mira quædam portenta, ne dicant, miracula, à se magno omnium stupore patrata. Hos, illosque Principes, quos proprio appellant nomine honorificentissimè; à quibus se laurè acceptos, humaniter tractatos, munificè donatos,

atos, ægerrimè dimissos, propositis amplissimis stipendiis ad eorundem invitatos obsequium, solo tali remedio valetudini jam funditus everse, à se restitutos gloriantur. Quot Duces, atque Dynastas; nobilium virorum, & feminarum quantam vim, quos videlicet omnes à certissimi interitus faucibus, tanquam redivivi Æsculapii, atque Chirones eriperint, expeditè nominant? **H**

276. Quid plura? Ipsimet etiam mira quædam, curiosaque prodigia omnium subjiciunt oculis. Quoties enim, Auditores, circumforaneus aliquis ludio à cunctis spectatur in foro, **A** viperam lacertis, quos extemplo nudat, admoveat, venenatoq; illius morsui ultro se carpendum præbet? Nec mora, mordetur, livescit, **B** nigrescit, intumescit, mox è pyxidiculâ medicato oleo, vel pharmaco de prompto vulnus linit, fasciâ obvolvitur, quiescit aliquantisper; & ecce dicto citius evolvit, explicat, extrahit, cû omnium admiratione curatum, integrumque omnium oculis exponit. Hic verò spectatores cuncti, experimenti tam monstri fascino exantati, fidem habere prestigiatori, jamque de eo pharmaco cœmendo secû deliberare, jam manus in sacculum marsupio aperiendo demittere. Motû hunc notat confestim Circulator astutus, atq; illico longam immanium. & cariosorum dentium compluribus evulsorum **C** feriem æreo contextam filo, tanquam balteû, aut torquem de collo, altero exerto brachio, suspendit; tum luculenta quædam de perâ profert diplomata, quibus quâ difficiles morborû **CURA**

curationes ipse tentaverit, feliciterque perfecerit; quot sibi, & quanti, quàm insignes ob illas honores decreti sint, atque habitu, validissimè persuadet. Argentea demum, aureaque numismata de aureis torquibus pendula, in dignitatis suæ monumentum sibi largita ostendit. His populus mirè assentiri, credere, capi, penè se dedere. Tum verò catus nugator non se deserit, majore adhuc opere, ac viore adhuc contentione affectus intorquet. Nunc Auditores, nunc muta saxa, nunc Cælum ipsum alloquitur. Modò Cælites omnes advocat, rogat, obtestatur. Deindè vociferando incenditur, rubore quodam ignescit, sudore diffluit, atque languescit. Ad postremum adeo strenuè, fervideq; perorat; ita naturali quadam eloquentiâ tantum lenocinante spectatores infatuat, ut vel sapientibus etiam imponat, ac plerosq; eorum graves, atque prudentes ad, nescio quæ, terræ ejectamenta, ad, nescio quos, pastillos præsentî pecuniâ mercandis adigat, calcemque iisdem pro theriacâ, pro balsamo picem; pro thure resinam non minus improbè, quàm dexterè divendat.

Ludicri, & questuosi Circulatores multò valentiùs, quàm corrupti Concionatores persuadent.

277. **T**antum scilicet habet spiritus, & verò longè etiam plus virium eloquentia, naturæ solùm impetu fusa, rudis quoque, sed non vitata; quàm expolita subtiliùs, sed
popu-

populæ auræ captandæ turpiter mancipata. Jam mihi hujus facultatis, hujus contentio- nis, & roboris exemplum unum, quod in Cir- culatore vidimus, aut saltem vestigium ali- quod in unguentatis Concionatoribus, si licet reperite, Auditores. Frustra indagabitis, fru- stra quæretis. Nam ut in exordio isti ludunt, sic narrando ludunt, in confirmatione ludunt, in epilogo itidem ludunt: ò probra! ò dedeco- ra! An quicquam execrabilius dici potest? Ita- ne verò? vaniloquus Circulator naturali illo **A** sermocinationis ductu plus pecuniarum in vilissimarum rerû sumptum exprimet, quàm fucati Concionatôres, suâ illâ cerussatâ acu- minum, ornâmentorumque affectatione in pauperum eleemosynas, stipemque Christia- **B** nis ab Auditoribus, frustra etiam per inesti- mabilem Jesu Christi sanguinem exoratis **C** corrogare possint? Ille modici lucelli gratiâ, adeo vietî, adeo abjecti impotenter raptus **D** tantopere exardescet? isti, ut animas omnibus pretiosiores ærariis, Cælo, Terraq; superio- res ab æterno Patre tam carè, vel proprii Filii emptas, & redemptas interitu lucrentur, ni- hil commovebuntur? nihil afficientur? & licet omnino pereant, nullè tangentur sollicitudi- ne? ò temporal! ò monstra! Ita planè in usu po- situm est, Auditores. Quævis lucri quamvis tenuis, & contemnendi incitata cupiditas om- ni sempiterni quættus joculari procuratione potentior est.

278. Dicam aliquid ampliùs, & dirius. Gra- tum ego, ni fallor, nuntium contaminatis qui- bus-

busdam hominibus sum allaturus. Plerique enim sacra obeuntes templa sceleribus
A cooperti, ubi Sacerdotem sacris operatum, ab arâ vident recedere, antequàm Concionator suggestum ascendat, rectâ, atque præproperè aufugiunt è Templo Heus vos, gradum sistite lucifugi tenebriones. Quid ita Concionem negligitis? Nolumus, inquiunt, quenquam nostras interpellantem, atque interturbantem voluptates audire; nostris intercedentem votis non ferimus. Et hæccine Concionatoris deserendi causâ? Ipsissima, ajunt. Atqui ego jam metu isto vos libero. Redite in Templum, socios à fuga retrahite Securos vos omnes esse jubeo. Omnis pavoris cessat suspicio Concionatorem timetis? Concionatorem istum? istum, istum, inquam, **E** cincinnatum, crispulum, limatulum, ex gratia totum, & suavitate coagmentatum? Alios fortè jure expavescatis, hunc timere nemo potest, nisi qui hilaritatem timet, & risum. Nihil enim ipso blandius, nihil delicatius. Nolite ab eo expectare, aut metuere objurgationis tonitrua. Nihil horum audietis Austeritatem tam ille odit, quàm gloriolæ amat illecebras. Licebit sub ejus Concionem frontem exporrigere, cum assessoribus fabulari, urbanè omnes ultro, citroque commentes salutare. Homo est miræ indulgentiæ, non erit molestus. Licebit huc, atque illuc circumspectare; licebit negotiorum nexus implicare, ac retexere, licebit tanquam in foro de rebus ludicris, novis, curiosis miscere sermones.

nes, Licebit amicam, vel amasiam fixo oculo-
rum obtutu ferè continenter fascinare, ma- **F**
tuoque ab illa fascinari. Ne trepidetis : Con-
cionator est indefessæ patientiæ. Nullos exci-
tabit clamores, nihil dicet; pergite, dissimu-
labit. Licebit vultu ad licentiam, ore ad ri-
sum, oculis ad lasciviam compositis, gestire
petulantius. Licebit manu, pileo, nutibus a- **G**
moris igniculos, tanquam missiles quasdam
Adonidis epistolas, jaculari Licebit Cupidinis
quandam scholam, atque palæstram, tantum
ausim vobis de istius comitate Concionatoris
polliceri, in templum traducere, atq; inibi ex-
ercere. Satis est, si identidem jucundo aspectu
lepide argutantem hominem intueamini. **H**

279. Addo etiam, videte viri facilitatem,
Juditham viduam, Estheremq; Reginam tam
delicatè, tantoque minio ab eo descriptum i-
ri, nec non pulchritudinem ac venustatem u-
triusque ita expingendam fore, ut, nisi insa-
no correpti amoris æstu jam arderetis, nullo
negotio faces ab illo vobis subijciendæ con-
tinuò sint; quanto magis, quum jam ante fla-
gretis, vestros amores, ac flammam nutriet, fo-
vebit, augebit? Ipsa illa Judithæ, Lætherisque
tam formosæ descriptio, si sapitis, si animum
advertitis, paucis mutatis, imò ita integra,
nihil variata, vestram vobis, quam tanto pe-
re deperitis, amasiam representabit. De vitijs
verò vestris, de animi vulneribus (credite
affirmanti; hominem novi) nihil mussabit: in
acuminibus, atque argutijs, in leporibus, & **A**
gratijs coacervandis totus est occupatus. Non
vacat

vacat illi quicquam de vestris morbis, aut salute cogitare. Quanto minus vos perterrebit? Poteritis tuto in eodem vitæ voluptariæ luto volutari, non prohibebit. Si stridulum nescio quid vocis fortè volet attollere, vix pulicem, vel muscam feriet. Vos, spondeo, non perturbabit. Adeste impavidi. Dummodo auditorium nobilibus viris, matronisque frequens, fartum, spissumque sit; siue illi deinde Concionem audiant, siue garriant; rideant, vel obloquantur; tussiant, vel turbas cieant, nihil curat, omnes suæ eloquentiæ ingentes plausus interpretatur. Dummodo, quum selecta quædam acumina nundinatur, audientiam saltem præferatis, ac subinde leniter subrideatis, reliquæ postea licentiæ omnem vobis indulgebit potestatem, omnia piacula condonabit. Etiam si autem Auditorum tantam turbam in Orcum, salute profligatâ, ruituram videat, dummodo gloriolæ, nominisque auctus rumuscule discedat, fructum opimum suâ ex Concione, quem maximè querebat, se retulisse gaudebit in sinu, atque aliis, ac si quis Hercules Orbem terrarum, exturbatis monstris, perdomuisset, cum magnâ sui prædicatione narrabit. Tempora tempora, quæ hominum portenta aluistis! Utinam verò huiusmodi farina Concionatores nonnulli cû summâ Reipublicæ Christianæ perniciæ non audirentur aliquando, qui tribus persuadendi instrumentis, rationibus nempe, moribus, atque affectibus flagitiosè abutentes, infano ornamentorum luxu, estræni que dicendi intemperantiâ,
Deo,

Deo, proximisque neglectis, propriae ambitioni, Auditorum libidini, Dæmonumque votis **D** scelestè prævaricantur.

*Concionum, Concionatorumque depravatio
unde ducat originem.*

280. **Q**Uæ sit aliquorum labes Concionatorum tam gravi munere indignorum, quæ corruptela, satis ad id locorum vidimus, Auditores. Nunc, quo ex fonte hujusmodi contagio, tantumque malum fluat, investigemus. Nolo hîc ego eas causas, quas remotas, atque extrinsecus positas vocare possumus, ambitionem puta, ingenii stuporem, ignaviam, imperitiam, cæterasque id genus rimari; sed eas tantum, quæ intrinsecus hanc pestem creare, aut certè de proximo quàm mollissimè afflare solent. Et quantum quidem ad Italicas Conciones attinet, blandum his ab Academicis cœtibus fraudis illicium, magnumquè ab Hetruscâ poesi contagionis periculum imminet. Quippe quum in præcipuis serè Italiæ Civitatibus disertorum conventus virorum dum mansuetioribus plerumque, ac suavioribus literis haberi consuefcant; curiosa, atque ambitiosa ingenia, quæ ad hujusmodi ludos, ut ita dicam, Olympiæcos, non de cursu, aut saltu, sed de intelligentiæ laude, ac prærogativa certatura, confluent, quibuscunque lucubrationum, scriptionumque generibus indulgent, ac totos frænôs licentiæ, quicquid libuerit, vel inciderit, inven-

nien-

inveniendi, venditandique, ad decus, gloriamque sibi pariendam, relaxant. Orationes quoque, & Panegyricos texunt, sed tanto ornamentorum luxu unguentatos, ut de arcu à totos, atque narthecio promptissè videantur. Maximè verò omnium in iisdem hisce cœtibus Hetrusca regnat poësis, quæ quum acuminibus gaudeat, argutijs scateat, flosculis niteat, plausumque, audita libenter, ab otiosis Auditoribus non operosè eliciat, mirum est, quârâ voluptatis illecebrâ cunctos detineat. Quibus ego sanè Academicis tum hominibus, tum exercitationibus nihil penitus existimationis hic detractum volo, sed suum decus integrum omnino superare & medullitus opto, & planissimè denuntio. Ex his porò amœniorum literarum cultoribus, qui inter Academicos suum profitentur nomen, nonnulli interdum, rebus mortalibus valere iussis, in Religiosa claustra se se abdunt, & quem semel Academicum stylum, atque poeticum primitus imbibebunt, sacris postea addicti Concionibus, minimè exuunt; sed tanto retinent pertinacius, quanto lascivientium Adolescentum, leviumque matronarum palato gratiorem, jucundiorè que accidere sibi persuadent. Quid quòd Religiosi etiam viri Academicis istis conventibus non rarò interfunt: quin aliqui quoque in Academicorum ordinem cooptati superiore de loco suas & ipsi Academicas habent dissertationes? Ita fit, ut, dum Academicum dicendi characterem, Italicæque poëseos delicias tanto hic cernunt in pretio; dum illum,

illum, atque istas tam copiosi proxenetas ap- **B**
 plausus animadvertunt; dum Academicos
 scriptores frequenter legunt; dum Hetruscos
 Poetas saepenumero versant, tractantque,
 stylus pariter Academicus, atque poeticus
 iisdem fermè non sentientibus paulatim alli-
 natur, domumque relatus, sacra quoque in
 templa, & pulpita ineptè, ac stultè comporte-
 tur, deque Academicis Oratoribus, joculari-
 bus, ac malis pejores evadant, atque exitia-
 biliores Concionatores.

281. Unde enim, unde, qui Poetarum
 nugamenta in sacris rostris densè confarci- **A**
 nant; unde qui contortulis lugubri in argu- **B**
 mento senticulis intempestivè jocantur; unde
 qui subtilioribus acuminibus importunè ar-
 gutantur; unde qui lepôribus salibusque vitu- **C**
 lantur petulanter; unde qui arida Philoso- **D**
 phiæ senticeta, peregrinarum arcana disci- **E**
 plinarum, remotarum mysteria artium, acuti-
 ora Theologiæ spineta inaniter explicant; un-
 de qui omnia hinc, atque illinc ad demulcen-
 das tantùm aures apposita, ad abstrahendos
 verò facinorosos à vitijs prorsus inutilia, di-
 ligentiùs, atque improbiùs corradunt; unde,
 inquam, hujusmodi phalerati Concionatores, **F**
 tot ac tam dira monstra sacras in ædes invex-
 erunt? quo ex ovo adeo virulento taterri-
 mos istos basiliscos excluderunt? Nimirum ex
 corrupta Oratorù prosapia, ex florido Acade-
 micorù Senatu, ex ludrico Italicorù Poetarum
 choro. Nā imberbis propemodùm Orator, qui
 omnes eloquentiæ vires ad vanam popularis
 auræ

auræ gloriolam his in Academiis precario
 mendicandam hætenus semper contendit, in
 sacrum deinde Concionato rem transcriptus,
 illico scilicet supra Chrysoftomos, supra
 Nazianzenos, supra Basilios, Augustinos,
 atque Hieronymos, Apostolico inflammatus
 spiritu, Apostolis penè suppar, in suggestu ig-
 neum veluti gladium rotabit eloquentiam;
 styli majestate omnia, omnia lacrymis, sin-
 gultibusque complebit; vocis vehementiâ,
 incitatissimâ affectuum perturbatione omnia
 amplificationum tonitruis omnia, omnia ter-
 rore, atque ejulatu, tanquam Cælo delapsus
 quidam Angelus permovebit. Novâ linguâ,
 novo gestu, novâ arte, quam nunquam
 somniavit; novâ exercitatione, quam nun-
 quam attigit; novâ dexteritate, quâ semper
 caruit; dicet, orabit, persuadebit. Quæ non
 didicit, docebit; à vitiiis, quibus connivere
 solitus est, deterrebit; ad virtutem, quam
 ignorat, impellet. Quid amplius? Novus qui-
 dam veluti Eloquentiæ Deus in terris exi-
 stet. At quis adeo antiquus, planeque excors
 hisce deliramentis fidem habeat? Certo i-
 gitur apud vos statuite, gravissimi Patres, me-
 cumque verissimè decernite, de malis Orato-
 ribus longè corruptiores fingi, cuique Con-
 cionatores. Quum enim probandi, persuadē-
 dique forma una, atque eadem utrisque com-
 munis sit, quanquam diversam tractant ma-
 teriam, diversoq; utuntur modo; profectò qui
 argumentis in Oratione non ad probandam,
 vel persuadendam, sed ad frigidorū acuminū
 super-

superfluumq; ornamentorū venditionem
 abusus est, iisdem quoq; corruptelis etiam in
 Concione erit obnoxius: atq; adeo eiusmodi
 Orationum perversitates, tanquam infectæ,
 venenatæq; eorum vitiorum, quæ deinceps
 sacras in conciones vel sensim irrepunt, vel
 statim irrumpunt, radices maturè cavendæ,
 ac præcidendæ sunt. Cæterum quæ de Acade-
 micis in Italiâ cœtibus, Italicisq; Poetis, sa-
 crarum Concionum depravandarum in obser-
 vatis quidem vulgò, atque inculpatis, sed **L**
 reapse magnis, ac perblandis illicibus dixi, **K**
 eadem vos dereliquarum quoque nationum
 similibus conventibus, vernaculisq; Poetis,
 sicubi in usu sunt, tantumque gerunt pellaciæ,
 ac fascini, dicta existimate.

282 Verum alius labefactandarum Con-
 cionum scopulus longè generalior, cunctisq;
 pervulgatus populis est, Auditores, vitiosa
 Adolescentū Rhetoricis in scholis institutio:
 Nā vituperavi hætenus, vt sub huius princi-
 piū Actionis præfatus sum, fractos dumtaxat
 Oratores atq; Concionatores, qui in causis
 gravibus, serioq; agendis acuminum intem-
 perantiâ, aliorumq; ornamentorum exube-
 rantiâ lasciviunt: at ipsos dicendi magistros,
 ludorumq; scholasticorum moderatores in-
 tactos omnino semper reliqui. Etsi enim Ad-
 versarios meos per sæpe Declamatores nomi-
 navi, hoc tamen ego eos nomine nō ea prop-
 ter, quòd in scholis perperam declamarent,
 sed quòd extra ludimagistrorum spatia, atq;
 pomeria, in foro quoq; in curiâ, ac in tēplo, in
T causis

caussis gravibus, & serijs scholasticâ declamandi licentiâ absurdè debaccharentur, meritissimo appellavi. Nunc verò ipsa literaria gymnasia, ipsa professorum Rhetorices auditoria ingredi, ac lustrare placet. Hos intra parietes discipulos in levibus, & simulatis castris ad ingenium periclitandū, acuedumq; nōnunquam exercere nemo jure sanè improbauerit, neq; ego, quin cum laude fieri possit, inficias iverim. At ejusmodi nugis Eloquentiæ Audiōres semper ludificari, hæc in primis infesta, & cariōsa radix est, quæ quum Oratores, tum Concionatores ostendiarum, atq; apinarum plenos necessario efficit, ac submittit. Si enim in Rhetorices exedit nullæ persuadendi leges, nullum artificium, nulla norma discipulis proponatur; si nullæ Ciceronis, aut alterius, qui exemplo prave, aut prodesse queat, Orationes ab Adolescentulis surantur in manus; si nullæ causæ graves ad imaginē verarum appositè edisserantur; si contra ludicris tantūm fictisq; argumentis exornandis iisdem perpetuò detineantur; neq; ad veritatis patefactionem, sed ad ingenij ostentationem, non ad finem Oratoris, sed ad præpostera Oratoris artis adulteria, ad eruditionis famam, ad nominis sui celebritatem, ad gloriæ aucupium referre doceantur; quam, obsecro, Orationem, aut Concionem hujusmodi affectæ illecebrarum, vbi in forum, vbi in curiam, vbi in templum concesso, poterunt architectari, cuius nullam unquam speciem, nulla lineamenta viderunt?

283 Nimirum qui puerilibus dictionis
 crepandis in eloquentiæ Gymnasijs primò
 ineptire cœperunt, easdem postea ineptias
 sacra quoq; in pulpita transferunt, nec minus
 perverse, quàm sæcundè propagant. Ita
 quippe usu, natura q; illucescentis radio com-
 pertum est, vt quibus primùm in teneriore
 ætate moribus sumus informati, eosdem etiã
 iam grandiores natu comites habeamus.
 An igitur adolescentior Rhetorices Auditor
 contaminati styli peste semel correptus, qui
 aliquot jam annos sese hisce veluti rudimen-
 tis exercuit, futurisq; gravioris operæ lucu-
 brationibus quasi prolusit; vbi deinde ab
 adumbratis, lusorijsq; Orationibus in quibus
 aurium tantummodo titillationibus suum in-
 genium, stylũ, ac vocem scœneravit; ad serias, **A**
 ac decretorias transtierit; nõ eãdem oberrabit **B**
 chordã, non isdem claudicabit cruribus, nõ
 eãdem ingenij licentiã Conciones quoq;
 inquinabit, ac funditus pervertet? Nempe
 qui nunquã ferrum aspexit, qui lignis sem-
 per usus est gladijs, qui pictis tamdiu lusit pu-
 giunculis; repente in aciem prodibit exercita-
 tissimus pugil, peritissimus miles, strenuissi-
 mus belli dux; extemplo Scipio aliquis Afri-
 canus sine dubio, Magnus alter Pompeius
 omnino, novus prorsus Julius Cæsar profiliet.
 Qui ad risum semper proritavit, illic o solvet
 in lacrymas. Qui hætenus micuit tantum
 digitis, subito fulmina, credo, vibrabit. O
 somnia! o deliria! Imò verò qui inertes in
 Rhetoricæ ludo declamationes distortas.

delumbes, atq; inconcinnas fabricare solitus est; nihilo molieres Orationes, atq; Concioniones in foro, in senatu, atque in templis conformabit.

284 Quod etsi abunde haecenus à me ostentum est, lubet tamen, ad tam flagitiosam depravationem magis magisque everberandam, vel Ethnici hominis Petronij Arbitri, quanquam aliàs valde impudentis, at ne tantà quidē suā impudentiā huiusmodi corruptelam concoquentis, aut dissimulantis, sed palàm traducentis, explodentisq; documento placē insigni hoc ipsum validissimè confirmat. Num alio genere furiarum, inquit, declamatores inquietantur, qui clamant: Hæc vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi, date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos; nam successi poplites membra non sustinent. Hæc tolerabilia essent, si ad eloquentiā ituris viā facerent; nunc & rerum tumore, & sententiā vanissimo strepitu hoc tantūm proficiunt, ut quum in forum venerint, putent se in alium terrarum Orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex ijs, quæ in usu habemus, aut audiūt, aut vidēt; sed piratas cum catenis in litore stantes & tyrannos edita scribētes, quibus imperēt filijs, ut patrum suorum capita præcidāt: sed respōsa in pestilentia data, ut virginestres aut plures immolētur, sed millipos verborum globulos, & omnia dicta, factaq; quasi papauere, & sesamo sparsa. Qui inter hæc intrantur, nec magis sapere possunt quàm benè

bene olere qui in culinâ habitant. Pace vestra
 liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis.
 Levibus enim atque inanis sonis ludibria quadam
 excitatione, effecistis, ut corpus orationis eneruare-
 tur, & caderet. Nondum juvenes declamatoribus
 continebantur, quum Sophocles, aut Euripides
 invenerunt verba, quibus deberent loqui. Non-
 dum umbraticus doctor ingenia deleverat, quum
 Pindarus decemque lyrici homericis versibus cane-
 re timerent. Tandemque concludit: Nunc pueros
 in scholis ludunt, juvenes videntur in foro. Et
 quod utroque turpius est, quod quisquis perperam
 discit, in senectute confiteri non vult. Hactenus
 Petronius est continua profus veritatis.

285 Iam quid huiusmodi censura, & judi-
 cio, Præsules amplissimi, sapientius apertiusque
 de plerisque Rhetorices auditoribus, paulo
 deinde post ad concionandi munus obeundum
 migraturis pronuntiaripotest? Nonne hi,
 qui in scholâ operam eloquentiæ navare
 verum tumore, & sententiâ vanissimo strepitu,
 perperam dudum iam docti sunt, reapse
 hoc tantum proficiunt, ut quum, non sanè in
 forum, sed in Templum venerint putent se in
 alium Terrarum orbem delatos? Nonne hi ex
 infelicibus illis adolescentulis prodierunt
 quos solers motu censor iam appellatus, me-
 ritò existimat in scholis stultissimos fieri, quia
 nihil ex ijs, qua in usu habemus, aut audiunt,
 aut vident; sed piratas cum catenis in litore
 stantes, & Tyrannos edicta scribentes, quibus
 imperent filiis, ut patrum suorum capita praece-
 dant, sed responsa in pestilentia data ut virgines tres.

aut plures immolentur. sed mellicos verborum
globulos & omnia dicta factaque quasi papa-
vere, & selamo sparsa? Nonne qui inter haec
& similia crepundia, & nugamenta nutriun-
tur, non magis sapere possunt, quam bene olet,
qui in culinâ habitant? Nonne infortunati
pueri, qui in scholis ludunt, juvenes postea in
Templis Concionatores facti, ridentur, &
quod utroq; turpius est, quod quisq; perperam
dicitur in senectute postmodum cõfiteri nõ vult?

*Vitiola Rhetoricorum Discipulorum
Institutio quàm sit Reipublicæ
detrimentosa.*

286 **Q**UÀ sanè scholasticorum Decla-
matorum in oratores, Oratorūq;
in concionatores deteriore semper coopta-
tione, atq; trajectu quid, rogo, turpius aut
nocentius Christiano in Orbe potest existe-
re? Si eloquentiæ decus immodicorum acu-
minum, atq; ornamentorum morbo sidera-
rum, intra solos Rhetorici Gymnasij parietes
A lauguesceret, neq; foras maneret, contagio-
nemq; portò in alios minimè vulgaret; equi-
dem, Auditores quicquid tandè id piaculi sit,
B fus deq; ferrem, neq; graui unquam crimine
condemnarem. At quum experueris Rhe-
toricæ artis Declamatoribus Oratores, atq;
Concionatores in causis magni momenti
C atq; ex animo perorandis leues, tralatitii,
atq; inutiles, imò non leviter etiam noxii,
vt cotidiano experimento testatum est, eva-
dant;

dant; incredibile dictu est, quantum damni, atq; exitij ex hac scholasticâ legitimè declamandi, atq; ad persuadendū appositè dicendi prævaricatione in Rempublicâ deriveretur. Iulianum Cæsarem, cui ejurata per summum nefas Christianæ religionis perfidia, atq; infamia *Apostata* cognomentum, ut semel jam supra monui, asseruit, tanquam immanem Ecclesiæ Christianæ iustificatorem, atq; Tyrannum quum multis quidem nominibus, tum præsertim, quòd Christi cultores liberales docere litteras, vel discere, edicto vetuerit, Patres sanctissimi Augustinus, & Chryostomus, b Nazianzenus, c aliq; complures acerrimè carpunt.

287 Sed cur, quæso, aut quam ob noxam? Quid fuit in câ litterarum interdictione facinoris adeo rætri, quod tantum crimen, ut iâ A atroci censura sapientissimis infulati Ordinis Patribus merito feriendus videretur? Nèpe scelestus ille id potissimum moliebatur, ut proscriptis ejusmodi litteris, atque deletis, gradus ad Philosophiam, & Theologiam, cæteraq; Fidei sacrosanctæ munimenta perdiscenda fieri non possent; ac propterea rerum Fidei ignorantia omnium mentes occupante, & ipsâ Fides per altissimum stuporē paulatim eventeretur. Quo consilio ut nihil iniquius, ita nil perniciosius. Tolle porro jam ab omnibus Rhetoricæ Classibus Tullianas

T 4 Ora

a lib. 18. civit. 52.

b Serm. de SS. Iulventio & Max.

c Orat. 1. in Iulian.

Orationes, tolle probandi, amplificandique
 artificium, tolle persuasionis animorū eblan-
 diendæ, aut extorquendæ curam, vim, robur,
 ac nervum: atq; vnâ de Templis quoq; vege-
 tas & lacertosas Conciones pedegentim su-
 stuleris: quibus sublatis, alijsq; futilibus, ac
 nugatorijs substitutis, vitia omnia, quæ di-
 uini sermonis clavâ levissimâ infirmè, ac jo-
 culariter ista sunt, hærebunt immota, in pe-
 ius ruent, obstinatiùs perennabunt. Quæ ma-
 lorum seges uti uberrima est, sic istâ dicendi
 vitiositate ex Oratorio ludo primitus manâ-
 te nihil magis flagitiosum. Adde versipelle
 illud Juliani decretum, non vt quameunque
 insectationem, aut Tyrannidem, sed tanquã
 omnibus alijs, quæ per ferrum, per cruces, per
 ignem, per quævis crudelitatis instrumenta
 vnquam exercitæ sint, longè sæviorem, cæ-
 tuiq; Fidelium multo damnosiorẽ ab iisdem
 amplissimis Patribus, ut purpurati lumen Se-
 natus Cæsar Baronius æruditè observat, ac-
 cusari, iureq; optimo idcirco etiam exagitari.
 Nam reliqui Tyranni, qui Christianos ad
 veram religionem ex animo expectorandam
 adigebant, monstrosi sceleris horrore statim
 obiecto, illorum quàm plurimos ab impio fa-
 cinore deterebant, ingentemq; oblustantiũ,
 ac renitentium *Martyrum* messem faciebant.
 At Julianus non tam perfriatã fronte Christi-
 clientes in fraudem invitandos, vel inducen-
 dos subdolè putavit; ac proinde Fidei profes-
 sione iisdem minimè interdixit: sed oblique
 tantum,

2. Tom. 4. *Annal. Aõ. Domini* 362. n. 22. & 23.

tantum, ac per cuniculos, ad illius interitum, extinctis literis, eo durius, quo rectius sibi grassandum existimavit. Haud secus Tyrannus quoque animarum Daemon, non id sane agit, ut Concionatores in divini Verbi corruptelas, in adulteria, in dedecora recta impellat; quippe quod id manifestum nefarium flagitium extemplo perluceat, ab eo omnes sub primu aspectu averterentur; sed clam dumtaxat, captoque ambitu saragit, ut valida, atque efficax persuadendi forma a Rhetoricis Gymnasijs exulet: quo semel obtento, nullo quoque negotio omne vitium & solidaru concionum genus sacris est Templis propediem excessurum, atque eliminandum sibi neque inaniter pollicetur. Quae utique perveficias, atque contagio in quantam Reipublicae Christianae perniciem redundet, quantaque non tam persuasionis, vel oratoriae artis, quam virtutum omnium, animarumque carnificina sit, & iure appellari debeat, vestrum nemini iam arbitror incognitum.

288 Quare ad tanti mali, ac vastitatis periculum tempestive propullandum, id ego imprimis apud omnes, quibus Rhetorices Magistrorum creandorum jus, atque potestas est, compluribus praesertim Religiosis Ordinibus, qui Juventutem erudiendam susceperunt, cuique excolendae etiam Societas nostra non mediocrem curam impendit, ratum fixumque oportere esse, iudico, Patres sapientissimi, ut si quis unquam eloquentiae Professor a Tullianam persuadendi ratione alienus, acuminumque luxu, vel ornamentorum intemperantiam corruptus in suggestum perreptaverit, A

ubi notatus, ac deprehensus fuerit, confestim
 Praeficiū. & moderatorū decreto, iussuq; à tali
 doceri munere, salubri prorsus, ac necessariā
 severitate abdicetur. Quod eo factu erit, cre-
 do, proclivius, quò jã semel id genus exempli
 ab integro Religiosae alicujus familiae Provin-
 ciali conventu, qui omnes Rhetorices Prae-
 ceptores immodi- à sensiculorum, ornamentorumq;
 frequentia a Ciceronianã persuadendi
 normã delirantes, penitus exauthoravit, atq;
 à scholis removit, statutum, atq; in usum ire-
 vocabile calculo paucis ante annis fuisse revo-
 catum accepi Tullianã autẽ persuadendi nor-
 mã nõ de nihilo ego designavi, Auditores, vi-
 scilicet innuerem, eum, qui hanc sibi cordi
 esse, appositè dicendo ostenderit, etiam si sty-
 lum suum Tullianis verbis, & phrasibus mi-
 nus fortè illigati, aut mancipari passus fuerit,
 non propterea optimi Institutoris & nomi-
 ne, & gloria defraudatum iri. Porò si quis
 Grammatices, vel Humaniorum litterarum
 Doctor in Grammaticos Canones graviter
 peccaverit, si discipulis crassos, absurdosq; so-
 lacismos pro rectis locutionibus impingeret,
 si errandi ducem se præberet, non dicendis
 quis nõ eum quàmprimùm ablegandum ar-
 bitraretur? Qui nã igitur ad Rhetorices Prae-
 ceptorẽ Rhetoricæ expertem facultatis, per-
 suadendæ quæstionis ignarum, in eloquen-
 tiæ leges præposterè delinquentem ex Orato-
 rio cõclavi, quum depravatae Orationis, cor-
 ruptaq; persuasionis solocismi ab isto pro-
 seminari longè perniciosiores, quàm illi-
 nes

nus rectæ locutionis, aut constructionis, siot
 exterminandū censebimus? Hujusmodi quip-
 pe Præceptor, nisi in tempore errorem dedi-
 scat suum, vt concionandi muneri penitus
 in habilis est, ita eidem muneri ineptiores di-
 scipulos instituet, & conformabit. Quid? cō-
 tra illud Iuliani edictum à liberalium aditu
 literarum arcens Christianos, etsi in speciem
 non ita sæuum, vniuersa Ecclesia armata est,
 totque Præsules, tot Patres, ac tot *Martyres*
 earundem studia literarum ad Dei Fidem, ac
 religionem ab omni labe tuendam per vi-
 giliis, per labores, per equuleos, per fidicu-
 las, per cruces, per omnes denique tormen-
 torū cruciatus mordicus retinenda, fortissimè
 existimârunt. Cur non ergo & omnes Ordi-
 nes, ad quos Adolescentum Rhetoricis præ-
 ceptis ad futuras Conciones instruendorum
 officium pertinet, atq; in primis societas no-
 stra Antistitesq; nostri sedulam perpetuò na-
 vent operam, omnesq; adhibeant machinas
 quò solidè p̄obandi ac persuadendi artificiu-
 m, hoc est, Tullianum à Rhetorices Magistris
 non leviter, sed probè perspectum habeatur.
 Oratoriz artis alumnis scienter tradatur, con-
 trariæ verò pravitates in cotidianis scrip-
 tionibus accuratè caveantur, atque emenden-
 tur, discipulis, quicunq; volent, ad concio-
 nandi munus intè postea obeundum, in ante-
 cessum per quameunq; industriam, per con-
 tinentes labores, per indefessam patientiam
 informentur, ac præparentur?

289 Huc demū, huc potissimum sacrissimumi

T 6

nostri

Anstrifundatorē Ordinis Ignatium spectasse, suaq; cōsilia colineasse ego sanè crediderim, quum Rhetoricæ Professores, nostris in Gymnasis instituendos esse sancivit, ut videlicet ab his quam plurimi sacros in Cōcionatorum maturè educarentur, atque Dei Ecclesiarum Christianorum omnium Parenti majorem in modum afflictae ad tot vitiorum monstra, quæ cotidie pullulant, gliscuntque, compescenda, ac debellanda suppeditarentur. Neque verò sancivit tantummodo, sed præclaro etiam exemplo, quum auream illam de obedientiæ virtute Epistolam tanto artificio, divinâque sapientiâ elaboravit, ut si concionalem in eâ usurpavisset stylum, absolutam posteritati Consionē fuerit relicturus (certè quidem persuadendi vi, atque efficaciâ innumerales Conciones longè antecellit) pulcherrimè demonstravit. Quare sicut Majorum nostrorum providentiâ bene constitutas Rhetorices Scholas accepimus, excubandum diligenter nobis animo est, ut easdem semper ita florentes, atq; à memoratis corruptelis integras conservemus. Ut verò ita etiâ futurum sperem, haut vanis equidem conjecturis adducor.

290 Recreor enim etiâ, atq; etiâ Auditores, incredibilq; consolatione sustentor, quos in atrijs, xystisq; nostrorum Athenarum nec nō in aliorū, qui eandē, ac nos Juvētutis literis, & pietate imbuēdæ provinciâ sortiti sunt, porticibus M. Tullij Ciceronis libros, quos singuli Gymnasiorum moderatores suis Auditoribus

ditoribus explicant, suspensis in tabellis descriptos, in Rhetorices maximè classe Tullianas Orationes, Tulliana dicendi scita, atq; præcepta ad imitandum proposita intueor; quodq; caput est, multo quoq; esse in honore. discipulis enodatè explanari, docendo sanctè excoli, frequentibusque declamationibus ad persuasionem exprimendam accommodatis, usui haberi animadverto. Neque minùs oblector, quum illustres M. Tullij, clientes Perpinianos, Bencios, Campianos, Stephonios, Nigronos, Cauffinos, Galluccios, Guinifios, Cellotios, aliosq; non paucos è nostro cœtu, ab eâ acuminum ornamentorumque intemperantiâ, quam hæc in Actione non segniter castigavi, ac reprehendi, immunes omnino, & desecatos, tanquam strenuissimos Suadæ milites in eloquentiæ speculis vigilanter præsidentes conspicio. His enim Ciceronianis armamentarijs, his amplificandi præsidijs, his persuadendi moenibus, & propugnaculis quo vsque Oratoria facultas adversus imbelles Adversariorum impetus, atque ineurfiones munita erit, atq; obvallata, facile quoscunque eorum conatus, insultus, cuniculos atq; insidias eludet, sustinebit, retunder, disijciet, refutabit. Hæc pauca de Declamationibus, deque Rhetorica Gymnasijs pro gravium Oratorum, & Concionatorum, de quibus solis mihi res fuit, corollariorum hæc; è quibus jam pedem efferens, quod reliquum telæ superest, tandè pertexo.